32386/B

146 **Laurea Medica,** id est: Inauguratio septem Medicinae Doctorum Viennae habita. Viennae Austr. 1732. 4to. Swd. Frs. 80.—

Very interesting collection of 7 dissertations made at the University of **Vienna:**

1. **Hirsch, Th.** De Nitro.

2. **Lehr, J. W. J.** Examen trium Austriae Inf. balneorum Altenburgensis, Byrenwartensis, et Danubiensis eorum usus et abusus. Das ist Untersuchung dreyer Nieder-Oesterreichischen Bädern zu Teutsch-Altenburg, Byrenwarth, und Donau-Baads, Deren Gebrauch u. Mißbrauch.

Interesting balneological dissertatio dealing with the baths Deutsch Altenburg and Pyrawarth.

The author describes exactly the effect of a bath in the two different towns. The last chapter treats of bathing in Danubian water.

3. **Dietmann, J. M.** Examen Thermarum Austriaco-Badensium earum usus et abusus, Das ist: Untersuchung des Nieder-Oesterreich. Badner-Bads Dessen Gebrauch u. Missbrauch.

Important treatise including several bibliographical notes, on the famous Baden near Vienna. The author knows 11 different baths at Baden, he gives its degrees of heat, the percentage of salt etc.

4. **Rauch, J. B. A.** De usu et abusu Croci Austriaci.

5. **Besnecker, A. J.** Cerevisia Austra-Viennensis mechanico-clinice elucubrata. Very interesting treatise on production and compound of beer.

6. **Steindl de Plesseneth, F. A.** Vinum Austriacum oeconomico — medice consideratum.

Very curious dissertatio dealing with vine cultivated near Vienna. The author gives an exact account of all places on which the vine has been cultivated and he tells of vintage, the conservation of wine and of the wine as medicine.

7. **Hentschel, L.** De usu et abusu nutricum Viennensium.

This interesting treatise has also some interest for medicine of nurslings.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30511380

51724

LAUREA MEDICA,

ID EST:

Inauguratio ſeptem Medicinæ Doctorum Viennæ habita

In Divi Stephani Proto-Martyris Metropolitana

CORAM

Senatu populóque Academico,

Excellentiſſimo, Reverendiſſimo, Illuſtriſſimo ac Ampliſſimo

AUDITORIO.

PROMOTORE

JOANNE JACOBO FREUNDT DE WEYENBERG,

Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, Sacræ Cæſareæ, Regiæque Catholicæ Majeſtatis Aulæ Medico, & Facultatis Medicæ p. t.


DECANO.

Die XII. Novembris Anno MDCCXXXII.



VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Andreæ Heyinger, Univerſitatis Typogr.


EX LIBRIS
BIBLIOTHECAE
CONVENTUS
VIENNENSIS ORD. PRAED.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



PROGRAMMA
PRÆFIGI
SOLITUM.



D. O.



UB REVERENDISSI

AC AM

DOMINO

JOSEPHO HEN

BRAITE

Dei & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopo Antig
S. C. M. Conſiliario, Metropolitanæ Eccleſiæ ad S. Step
Celſiſſimi S. R. E. Cardinalis, S. R. I. Principis & Archi-Epiſ
tualibus Vicario Generali & Officiali, nec non Celeberrima

PER PERILLUSTREM, MAGNIFICUM

DOMINUM

MAXIMILIANUM ANTONIU

Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, Sereniſſimi & Reve
Rhadecenſis Conſiliarium & Archiatrum, & ad hum
In Metropolitana Divi Stephani Proto-Martyris Anno
horâ 8. matutinâ ſub pulſu campanæ majoris

DEIN

A PRÆNOBILI, SPECTABILI, EXCEL

JOANNE JACOBO FR

Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, Sac. Cæſ. & Regiæ Cath

In eadem Metropolitana ritu ſolemni, more inſtitutoq;

PRÆNOBILES, EXCELLENTES AC DOCTISSIMI DD. AA. LL. ET

Ordine, quo



D. THOMAS HIRSCH, Carniolus Rattmanſtorffenſis.
D. JOANNES WENCESLAUS IGNATIUS LEHR, Sileſius Carnovienſis, Incl
fundationis Mannagettanæ Alumnus.
D. JOANNES MAXIMILIANUS DIETMANN, Auſtriacus Viennenſis.
D. JACOBUS BERNARDUS ANTONIUS RAUCH, Auſtriacus Viennenſis.

PROBLEMMATA â DD. NEO-DO

I. An otioſi diutius vivant, an laborioſi? II. An Sang

M. A.

MO, ILLUSTRISSIMO,

LISSIMO

DOMINO

RICO JACOBO

BÜCHER,

ensi, Philosophiæ & SS. Theologiæ Doctore,
um Præposito, Decano Kirenbergensi, Eminentissimi ac
Viennensis suffraganeo, & tam in Pontificalibus quàm Spiri-
ntiquissimæ Universitatis ibidem CANCELLARIO, &c. &c.

ECTABILEM AC EXCELLENTISSIMUM

DOMINUM

TAMMEN DE OLDENDORF,

lissimi Saxoniæ Ducis, Archi-Episcopi, Episcopi Regino-
noris Actum designatum PRO-CANCELLARIUM,
ratæ salutis MDCCXXXII. Mense Novembri die XII.
btinendum Doctoratûs Gradum licentiâ donati,

VERO

NTISSIMO AC CLARISSIMO DOMINO

NDT DE WEYENBERG,

. Aulæ Medico, & Inclytæ Facultatis Medicæ p. t. DECANO
mico supremâ MEDICINÆ LAUREA condecorati sunt.

SOPHIÆ MAGISTRI, SALUBERRIMÆ MEDICINÆ BACCALAUREI;
riculæ inserti.



. ADAMUS JOSEPHUS BESNECKER, Noricus Egrensis,
. FRANCISCUS ANTONIUS STEINDL DE PLESSENETH, Bohemus Pragensis. Illustrissimæ fundationis Windhaagianæ Alumnus.
. LAURENTIUS HENTSCHEL, Silesius Schwidnicensis.

RIBUS IN ACTU DISCUTIENDA.

n, Vampyrs dictorum, actio sit supernaturalis, an naturalis?



PRÆSENTATORIA
PRO
CANCELLIS
aperiendis.

SEptem orbis numerata fuiſſe antiquitus miracula, nemo facilè erit, qui eat inficias, *Reverendiſſime, Illuſtriſſime ac Ampliſſime Domine, DEI & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcope Antigonienſis, Philoſophiæ & SS. Theologiæ Doctor, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarie, Metropolitanæ ad Divi Stephani Præpoſite, Decane Kirenbergenſis, Eminentiſſimi ac Celſiſſimi S. R. E. Cardinalis, S. R. I. Principis & Archi-Epiſcopi Viennenſis Suffraganee, & tam in Pontificalibus quàm Spiritualibus Vicarie Generalis & Officialis, nec non Celeberrimæ hujus Univerſitatis Cancellarie*, ſeptem ſapientes in Græcia olim floruiſſe annales perhibent, ſeptem columnis ſapientiæ domum exſtructam ſacræ teſtantur paginæ, ſeptem ſigillis ſignatum librum Myſticum aquila innuit Apocalyptica; quid mirum! quod & ego ſeptenario Medici-

dicinæ Candidatorum numero coram te, *Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Domine* feſtivâ hodiernâ luce compaream: Hi etenim, quos coram intueris, ad inſtar mirabilium intricatiſſimas pro inaugurali diſputatione materias habuêre elaborandas, hi ad modum græcorum ſapientum ſua prævio in tentamine ſpecimina enucleatim demonſtravêre, hi columnarum in modum â Profeſſoribus aſſiduis, tot diverſis circa corporis affectus exercitationibus, & ultimò circa hujatis uſualium ſiſtematis ſtateram duro etiam quandoqúe cuneo, anaglyptico modo, fuêre elaborati & expoliti, hi ùt liber ſeptem ſigillis ſignatus, ita imperante Auguſtiſſimo Orbis Auſtriaci Moderatore hodie feliciſſimè natalizante exquiſitiſſimis quæſtionum ſubtilitatibus, & praxeos Medicæ rationibus apprimè trutinatis, ab univerſa Facultate Medica fuêre ſpecialiter ſignati. Verùm cuncta hæc â me enarrata deſiderium & meum, & præſentium ſeptem Medicinæ Candidatorum nondum expleverunt, dum plus ultra felici metamorphoſi progredi omnium noſtrum idem eſt animus, eadem ſtat ſententia. Hinc non miraberis, *Reverendiſſime ac Illuſtriſſime Domine*, ſi, quemadmodum ſeptem illa orbis miracula adeo glorioſum nomen ſortita nunquam fuiſſent, niſi ſummum artis & perfectionis apicem attigiſſent, ſic & famoſa illa Græciæ lumina attributa illis encomia nequaquam meruiſſent, niſi ingenii ſubtiliſſimi aciem demonſtrâſſent, nec ſapientiæ fanum optato termino abſolutum fuiſſet, niſi ad polituram columnarum, colorumqúe variegationem amæniſſimam indefeſſa acceſſiſſent negotia, neqúe etiam myſteria libri illius fas fuiſſet Sanctis Patribus explanare, niſi agnus ille apocalypticus ſeptem ſigilla reſerâſſet;

non

non miraberis, inguam, ſi & hi ſeptem Medicinæ Candidati deſiderio exæſtuantes (reſeratis â te, *Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine* Cancellis Academicis, mediante rigoroſo examine altiùs ſpirent, ut in Apollinea arte Doctoratûs inſignibus condecorati ſe reipublicæ incolumitati tuendæ aut reparandæ valeant ſacrificare. Annue igitur, *Reverendiſſime & Illuſtriſſime Domine*, votis meis, votis Facultatis Inclytæ, cujus nomine loquor, votis præſentium Candidatorum, quod, ſi fiat, utì gratioſiſſima tua innata omnibus perſvadet propenſio, me, Facultatem Medicam, & hos Candidatos tibi aliunde dicatos, multis paraſangis devincies obſtrictiores.

ORATIO PROMOTORIS
IN
Laudes Medicinæ.

SI hodierno rurſum die aureum illud Eridis pomum inter artes ingenio dignas jactetur, dubiamqúe in litem vocentur illæ, quas ſcientiarum principes, ac velut majorum gentium DEAS venerantur Athenæa, non deerit fortaſſe deſignatus prærogativæ arbiter etiamnum Paris, qui aureum illud victoriæ pignus præ cæteris omnibus ſaluberrimæ Medicinæ ſtatuat deferendum. *Perilluſtris ac Magnifice Domine Rector*, *P. P. Conſcripti.* Nolim tamen hìc ego arctiſſimo inter ſeſe colligatas fœdere ſcientiarum principes atque primipilas, intempeſtivâ gloriæ æmulatione collidere; ſuis unæquæqúe prærogativis eminent, ſuis in ſapientiæ regia effulgent faſtigiis, ſuis pro merito celebrantur

 en-

encomiis, quibus non ſectatorum modò ſuorum præconio, ſed omnium gentium, ætatumqúe concordi elogiô, ſublimiorum Facultatum ſcientiæ, tanquam veritatis oracula, reipublicæ humanæ columina, mortalium animis infuſa quædam Divinæ lucis particula commendantur.

Quando tamen tum ipſe hic locus, tum auſpicatiſſima lucis hujus, Medicis apparata honoribus ſolemnitas, tum muneris mei ratio, ac veſtra deniqúe ipſorum expectatio, ſaluberrimæ ſcientiarum Medicinæ encomium expoſcit, veniam dabitis, de argumento ampliſſimo ea potiſſimùm diſſerenti, quæ non tam ad oſtentationem, quàm ad commendandum eorum conſilium, quos hodie ad promerita Doctorum ſubſellia longis comparatum vigiliis meritum, atque induſtria evehet, opportuna videbuntur.

Habent hanc ſibi communem prærogativam ſcientiæ, quod humanum velut egreſſæ faſtigium, non modò cœleſte aliquid, atque divinum in ſeſe continere, verum & iis, quos ad altius ſapientiæ faſtigium felicior ingenii acies, laſſariqúe neſcius ſciendi ardor evexit, quandam divinitatis afflare ſpeciem, atqúe aliquid humanâ conditione ſublimius tribuere videantur. Cœleſti nempe ortu ſatæ ſcientiæ, originis ſuæ oblivionem capere nunguam penitùs poſſunt, divinæ lucis infuſæ homini partes ſuo ſe conformare principio geſtiunt, & DEO prognatas ſese, quadam impreſsâ ſapientibusDivinitatis imagine teſtantur. Quam quidem arcanæ cujusdam Divinitatis prærogativam, ſaluberrimæ, quam laudamus, ſcientiæ tantò largiore præconio atque cultu priſca omnis ætas attribuit, quantò amplius Medicinæ benefica illa vis in omnem

ſeſe

ſeſe hominum conditionem effundit, & ſenſibus adeò ipſis, ultra quos magna mortalîum pars haud multùm ſapere aſſolet, luculentiûs illucet. Inde originem duxiſſe arbitror, quòd Medicinæ cunabula atqúe auſpicia non niſi ad Numina, inventoremqúe artis Apollinem vetuſtas retulerit; Et quos ægris medendi corporibus ſingularis quædam Facultas atqúe peritia vulgarem ſupra famam altiùs evexerat, Deorum relatos in numerum aris, atqùe pulvinaribus ſuperſtitioſa priſcorum hominum credulitas conſecrârit.

Certè cùm quondam Græcia ternos potiſſimùm Medica in arte Principes ſuſpiceret, quam, Sorano Epheſio teſte, *Apollo invenit, Æſculapius amplificavit, Hippocrates perfecit*: Eoſdem quoqúe, tergeminum veluti Numen, DEOS inter atqúe Indigetes coluit, ſolemnibuſqúe ad aras hoſtiis, thure atque libamine eſt venerata. Quæ namque inGræcia urbs tam averſis nata ſuperis, in qua ſoſpitator Apollo non coleretur? aut quis ignorare poſſit Æſculapium Indigetem Epidauriis DEUM, tutelare Pergamenis numen, cœleſte Syciônis præſidium, Romæ demum etiam plenam (ſi fas eſt dicere)? prodigii ſtationem atqúe delubrum meruiſſe? aut Hippocratem communi univerſæ Græciæ acclamatione Eleuſinis in ſacris primum ab Hercule, ſolemniſſimâ apotheoſi, Numina inter, præſtiteſqúe Græciæ DEOS annumeratum? Quid quod ne Barbaræ quidem gentes adeò humani ſensûs expertes vixêre, quin DEOS inter gratâ veneratione reponerent, quos Medicinæ aut inventæ opinio, aut ſuas in terras primùm illatæ memoria, immortali ad poſteros gloriæ conſecrandos expoſcebat. Quanta namqúe Ægyptiis Numina Apim atqúe Iſidem novimus, traditorum popu-

lari-

laribus pharmacorum beneficio Divinitatis nomen promeritos? aut quàm Auguſtum Thracibus Numen, Zamolxis, Rex idem olim atqúe Medicus, effulſit? quanto demum Divos inter cultu ſuis ab Aſſyriis Horus cœlo tranſcriptus eſt, quos, cum viveret, non legibus modò gubernavit è ſolio, ſed exitioſis etiam morborum contagiis coronatus eripuit Archiater.

Verùm, quid ego vanis gentilium hominum ſuperſtitionibus immoror, & profanæ Religionis errore ſuffulcio veritatem? quando omni veritate verius in Medicæ artis prærogativam argumentum ſuppetit, quô verum, æternumqúe, quod Chriſtiani colimus, Numen, æternæ veritatis oraculo Medicorum cætui accenſetur. Sanè Samaritani illius benefici nomine clementiſſimum deſignari Numen, quis ignoret? qui affuſô vinô ſervârit â putredine vulnera, aſpersô oleo foverit atqúe conſanârit. Sed &, qui ipſe vulneribus noſtris medela factus Magnus de Cœlo Medicus, â lethali ſerpentis morſu ægrum mortale genus reſtituit Servator, an non omne Medicinæ punctum attigiſſe viſus eſt, dum attactu ſurdos, ſputô cæcos, vocis imperiô leproſos, ærumnis ſuis exſolveret, mortuos etiam, porrectâ ultra communes Medicinæ vires potentiâ, in vitam revocaret. Quàm porrò Divinum & illud? quod quos mortalium omnium, quot quot unquam omni ab ævo hic orbis aſpexit, ſapientiſſimos illuſtri omnipotentiæ ſuæ artificiô formavit Numen, iisdem medicandi comprimis artem, non comparatâ humano ingenio, aut inſtitutione, ſed afflatâ Divini Spiritûs Magiſteriô ſcientiâ infudit. Primo mortalis generis Parente, & in univerſæ poſteritatis magiſterium genito, Adamo, quis, infundente

ſeſe

ſeſe Divino Spiritu doctior unquam, aut ſapientior extitit? huic porrò, an non cum penitiſſima herbarum, ſtirpium, atque univerſæ rerum naturæ cognitione abſolutiſſimam Medicinæ Scientiam Divinus Magiſter infudit? ſed & Salomonem, cum deſponsâ, quam præ gloria atque divitiis ſibi depopoſcerat, ſapientiâ, ultra omnem mortalis doctrinæ modum longiſſimè proveheret paranymphus DEUS, an non abſolutam adeò omnibus numeris artis Medicæ infudit cognitionem, ut â Cerdo Libani ad humilem usque hyſopi herbulam, incredibili copiâ, ubertate, ſubtilitatéque diſceptaret. Non jam Noëmum adducam, poſteritati omni Magnum rei Medicæ Magiſtrum. Non Patriarchas recenſebo, non minùs poſteris, herbarum, medicæque ſupellectilis, quàm religionis, & gubernandæ è legis naturæ ſanctitate familiæ, Doctores. Non Juniorem Tobiam Angelicô Raphaëlis magiſteriô, cùm cæcutiæntis Patris, tum infauſtæ feralibus connubiis Saræ Archiatrum; non Medicinam Heroum artem prædicabo, quam Chirone Magiſtro Achilles didicerat, Telephi ſalute Pyrrhus exercuerat, magno commilitonum præſidio Neſtor atque Menelaus tractavêre; non deníque longum eorum recitabo indicem, quorum ſolertiâ compertæ primùm peculiaris ad medendum virtutis herbæ, inventorum Regum Heroúmque nomina ſeros ad poſteros propagavêre, Heraclium Herculis, Centaurium Chironis, Achilleon Achillis, Gentiana Gentii, Eupatorium Ptolomæi Eupatoris: Quando hodie celeberrima magno numero medicamina officinæ numerant, propioris etiam ævi Cæſarum, Principúmque virorum no-

B mine

mine ad gratam ſeu inventi, ſeu propagati communem ad uſum arcani memoriam, inſignita.

Sed nec glorioſa adducam encomia, quibus aut Poëtarum Anteſignanus Homerus, *Virum Medicum præmultis aliis excellere virtute cecinit*: Aut Medicorum primipilus Hippocrates *Medicinam omnium artium præſtantiſſimam* celebravit: Aut Philoſophorum princeps Ariſtoteles, *ubi deſinit Philoſophus, ibi Medicum incipere* ingenuè profeſſus eſt: Aut deníque Divinæ paginæ oraculum commonuit, *Honorandum Medicum propter neceſſitatem, omnem medelam â DEO eſſe, Altiſſimum creâſſe de terra Medicinam*, ut fruſtra jam profanus ſeſe Apollo apud Naſonem jactet:

Inventum Medicina meum eſt, opifexq; per orbē
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Nec eſt ſanè, quòd vereatur ſaluberrima Medicina, aut divina ab origine Sanctitatem, aut coronatis ex Archiatris Majeſtatem ſibi adſciſcere, quando ea eſt ſalutiferæ hujus diſciplinæ dignitas, quæ & ſuperos reddere mortalibus chariores, & Reges facere Auguſtiores poſſit; quid námque Divinum magis? quid Auguſtius? quàm ſervare hominem, ſalutem corporibus, incolumitatem urbibus, provinciis integris, atque populis ſalubritatem reddere, aut conſervare. Ut rerum ſublunarium præſtantiſſimam eſſe hominem fateri neceſſe eſt; Ita &, quæ ſalutem hominis unicè reſpicit Medicina, laudem omnem atque præconium tranſcendit; nihil in rebus, quas natura homini attribuit, vitâ pretioſiùs aut chariùs poſſidemus, nihil pariter in rerum humanarum ſcientiis cenſendum arte aut dignius, aut ſublimius, cujus præſidio ipſum illud, quo majus nihil largiri natura potuit, &

accep-

acceptum conſervetur, & amiſſum reparetur, ſi itaque magnum eſt ſervare fortunas hominis, ſi pulchrum dulci otio in ſpeculanda rerum natura deſidêre; Quid erit? ſervare incolumitatem, afferre ſalutem, vitam jam penè fugientem revocare, nec ſpeculari ſolùm, & otiosâ velut comtemplatione reconditarum in natura rerum cauſas, principia, vires, indolem diſquirere, verùm & ita inſpicere, ut proſpicias, ita obſervare, ut conſerves, ita intueri, ut tuearis.

Quàm Divinum porro illud, quòd penè DEO ſuppar! ea mortalibus arte tribuere, quæ prodigiô concedi â ſuperis ſolent. Certè quæ conceptis votis â ſuperis petimus, eadem â Medico fidenti animô poſtulare conſuevimus, vitam, ſalutem, incolumitatem, &, ſi quando in ulla rerum humanarum functione, hìc certè *homo homini DEUS eſt.* Quàm denique Auguſtum? quod cum reliquæ humanarum rerum ſcientiæ plurimùm ſeſe reipublicæ utiles non ex vano glorientur, una Medicina etiam neceſſariam prædicare ſeſe poſſit. Stare nimirum absque hæreſi aut erroribus reſpublica poteſt, vigere absque litibus humano commercio fas eſt, atque etiam expedit: Quàm econtra diu absque morbis conſiſtere corruptibile atque mortale hominis corpus, tam ſalva absque Medicinæ præſidio ſtare reſpublica non poteſt; una hæc iniqua nemini, benefica univerſis, in eos etiam, qui amittere nihil præter vitam poſſint, quadam Divinæ beneficentiæ æmulatione ſe extendit.

Nemo itáque hodie mihi invidioſum illud occinat: *Dat galenus opes.* Affluant illæ licet (non prohibeo) & pleno alveo in Medicorum ſinus, atque arcas devolvantur: Ampliùs tamen eſt, quod pub-

licè,

licè, quod privatim conferat Medicus, præ illo, quod â grata fatis pene suis superstitum manu percipiat, emolumento. Quantillum námque est, opes ab eo accipere, cui dederis salutem? Quantillum paucorum gratâ munificentiâ crescere, cum tua in omne mortalium genus beneficia dispensaris? unius nempe Medicinæ laus est, in longè plures beneficia gratuita spargere, quàm recipere grata officia possit: Una hæc servat cives, tuetur militem, summos custodit, imos protegit, sub unius manum nulla non conditio, ætas, sexus, eâdem penè, qua nascitur, necessitate venit. Carere potest sacrarum speculationum subtilitatibus innocens rudis popelli simplicitas: Destitui Philosophiâ se patitur damnata ad rudes manuum labores plebecula: Eximitur legum ambiguarum laqueis paupertas; nulla conditio Medico subtrahitur; neque magis â Medicinæ necessitate, quàm â mortalis corporis conditione absolvi homo potest.

Neque tamen has tibi prærogativas modicô â superis sudore venales exponi arbitrare, quisquis ad Medicæ sapientiæ cathedras, Doctorúmque purpuram aspiras, haud alium Doctorum hominum ordinem, honorémque, pluribus cum fastidiis, laboribus, vigiliis, & irrequiete curarum satellitio æqua præmiorum, laborúmque dispensatrix, numinis providentia conjunxit; quis enim est, qui ignorare possit, quàm incredibili opus sit Medicæ artis Sectatori industriâ, per omnia sapientissimorum philiatrorum monumenta pervagatâ, quam non vastissima veterum volumina fatigârint, non recentium subtilitas tardaverit, non arcanis implexa latebris obscuritas fugerit? quis non requirit in Medico arcanissimarum

con-

conſciam rerum ſapientiam, quam nulla unguam ignoti morbi novitas fallat, nullum medelæ genus, aut remota noſtro â ſole ſalutis præſidia lateant. Quis non in ſubitorum morborum poliatro promptum atque verſatile in omnes caſus poſcit ingenium, atque expetitam capeſſendi difficillimis in rebus conſilii celeritatem, quâ deploratam pene repentinis in malis ſalutem, atque fugientem jam extimis â labris Spiritum Divinâ quadam arte in corpora revocet. Quis deníque non exigit profundam in tractandis, digerendísque morbis prudentiam atque providentiam ſingularem, quâ ita morbos evellat Medicus, ut vires nè atterat, ita perſanet morbida, nè integra depaſcatur, ita deníque ægritudinum expungat ſemina, ut ægrotâſſe ſe ſaluti redditi, non aliunde ſentiant, quàm ipſo guſtu atque dulcedine, reſtitutæ pleniùs, atque perfectiùs incolumitatis. Quis porro neceſſariam Medico pro ſuæ concredita curæ ægrorum incolumitate vigilantiam non novit? quàm indefeſſis recurſibus, morborum acceſſus, receſſúsque, incrementa, intervalla, criſésque ſæpe fallaces atque ancipites explorandæ? quàm aſſiduis diurnis nocturnísque excubiis ducendæ ægrorum ad lectum horæ? & tuis ſubtrahendum commodis tempus, quod alienæ calamitatis ſolatio largiaris? quàm porro invicto animi robore ferendi ægrorum queſtus atque faſtidia? quàm ſpartanâ tolerandi patientiâ morbidorum putores corporum, trahendi affectorum malè viſcerum fœculenti anhelitus, & imbibendæ ſæpe mortes, ut aliorum incolumitati conſulamus.

Hæc, hæc, inguam, eſſe exiſtimate, Domini Licentiati, ad quæ vos hic veſtræ deſtinatus inaugu-

 rationi

rationi dies, atque hoc vestris adornatum honoribus sapientiæ Theatrum invitat, non honos hic vobis absque onere, non absque laborum, curarúmque satellitio Doctoris titulus deferetur; nec tam honos hic vobis, atque dignitas, quàm salus atque incolumitas publica quærenda.

Hoc si animô estis, agite, parata vobis honoris subsellia alacres occupate, nova salutis publicæ præsidia, vestris in vultibus, confluæ ad Spectaculum urbi, sublimi hoc è loco exhibete; modò antea antiquissimæ huius Universitatis consvetudini morem gesseritis, & Juramentum præstiteritis. Prælege Pedelle.

Hic prælegitur Juramentum.

PRæstitis itáque, quæ præstanda erant, ego Joannes Jacobus Freundt de Weyenberg AA. LL. Philosophiæ & Medicinæ Doctor, Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Aulæ Medicus, nec non Inclytæ Facultatis Medicæ p. t. Decanus Spectabilis Authoritate Pontificiâ & Cæsareâ, more institutóque Academico vos Prænobiles, Excellentes ac Doctissimos Dominos AA. LL. & Philosophiæ Magistros, nec non saluberrimæ Medicinæ Licentiatos formatos, & paucis abhinc minutis pronuntiatos ac declaratos, & quidem te &c. vos, inguam, omnes & singulos in saluberrimæ Medicinæ Doctores facio, creóque, atque taliter factos, creatósque in celeberrimo & amplissimo hoc consessu palam enuntio ac declaro, licentiam vobis tribuens Doctoralem cathedram conscendendi; de Medicina disputandi, docendi, glossandi

ſandi & interpretandi, omnibúſque iis Privilegiis, immunitatibus & prærogativis gaudendi & fruendi, quibus hæc ab ortu ſuo Celeberrima Univerſitas, & omnes in univerſo terrarum orbe reliquæ gaudent & fruuntur; quod cedat ad DEI optimi maximi gloriam, Beatiſſimæ ſine originali labe conceptæ Virginis, Divorum Tutelarium Coſmæ & Damiani, totiúsque Sanctæ Cohortis Medicæ honorem, & ſempiternam memoriam, Celeberrimæ & Antiquiſſimæ hujus Univerſitatis majus decus & incrementum, nec non reipublicæ Chriſtianæ ſalutem & emolumentum.

In Nomine DEI Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.

SUrgite nunc, ac mentes erigite neoelecti ſalutis conſultatores ſeptemviri, in honorificâ hac ſtatione locati, velut delphica è tripode ſanitatis oracula depromite; verùm hæc â me vobis conceſſa jure merito in dubium vocari poſſent, niſi & collato â me vobis honori ac gradui conſequens etiam inſignium elargitio ſequeretur, ſatisfaciam ergo deſideriis veſtris ulterioribus, ad quod me accingo.

Ad Epomidem.

HIppocrates librô de Medici decenti ornatu, eum Gravem eſſe ordinat, præſentem hìc intueris, non eſt Rabælesii Montiſpellienſium philiatri tunica, cui acclamatur; Vade & occide Cain; minus eſt peregrinantium tunica, nam teſte Aſceta Kempenſi, multùm

tùm peregrinantes rarò Sanctificantur. Tu Domine neo Doctor hac tunicâ ornatus peregrinare de lecto ad lectum patientûm, & optato eventu gaudens non solùm sanctificaberis, sed, ùt prius dixi, hominibus cum tempore DEUS eris.

Ad Pileum.

RES sacræ sacris debentur, profanis id fas non est, donec scientiæ orgiis insigniti, Divus Hippocrates libro de veteri Medicina innuit, hinc Medicina sacra jure merito Te hoc suo ornat pileo, ut qui singulari tuo specimine non inanem gloriam consecutus es, Divi senis condignus sectator, saluberrimæ proin artis, ejúsque gemmarum nundinatores, pseudo chymicos, carbonarios, caminarios, idiotas & vetulas ad ultimam usque Thulem, me sperante, relegatum ibis.

Ad Librum Apertum.

EN Domine neo-Doctor Norice Egrensis proximè fors illuc discessure, non abs fortuito casu tibi a me assignatam Cereris potabilis, patriæ tuæ familiaris potentiam & vires enucleatim elaborâsti, Divi Hippocratis aphorismum de jeiunio perferendo, ni fallor, in puncto dilucidandum habuisti, cum autem licet hactenus hujus plagæ phoenomena observaveris, patrium solum aliud postulet, hinc apertos tibi Hippocratis aphorismos exhibeo, quibus facilè innatâ tuâ perspicacitate, in arena Consilium sumere valeas.

Ad

Ad Librum Clausum.

HIppocratis aphorismos tibi hìc clausos consigno Domine neo-Doctor, non eâ intentione, quasi eorum respectus, aut indefessa perlectio negligenda foret; librum hunc clausum thesaurum crede absconditum, quem, qui invenit defossum in agro, vendit substantiam omnem, & emit agrum illum, ut thesauro potiatur, teste evangelio, hoc thesauro in libro hoc clauso, & tu ad tuam, aliorúmque consolationem tutò frui poteris.

Ad Annulum.

ANnulo isto se tibi desponsari anhelat saluberrima Medicina, tanguam sponso ex meritis Medicis digno; quid exhorrescis? Nunquid me teste cum præsentibus vota contraxisti? observo ingenuitatem tuam, insons vereris ducere Matronam, â tot, ùt mox ante audivisti, defloratam Myropolis, Hæbræis, Carbonariis, Lixis, Colonibus, idiotis, & quod maximè dolendum, ipsis Sacrificulis, qui tamen de jure Canonico illicitè artem Medicam exercentes irregularitatem incurrunt. At bono animo! bono animo! violenter violatæ macula nulla inuritur, sed perstat integritas, consolatus ergo esto sponsus; quod si verò ad secunda vota fors progredi tibi sit animus, hoc cape consilii, si vis nubere, nube pari.

Ad Torquem.

AUreâ hac catenâ Te vincio Domine neo-Doctor, non ut Alchymistam Te faciam, plus detrimenti quàm emolumenti afferens, sedid tibi indicans, ut,

quem-

quemadmodum ſolidum in hoc torque aurum comprehendis, ita me non in vanum præſagiente è Divi Hippocratis aphoriſmis, Galeníque commentariis (quorum operam conteſtatus es) aurum ſolidum, omnem Hermetis officinam præcellens tibi compares, quod uti quondam Illuſtriſſimi & Magnifici Anteceſſores tui, ita & tu, me ſperante, induſtriâ tuâ ſaluti publicæ conſecrabis.

Ad Oſculum.

COmplector te Excellentiſſime Domine neo-Doctor, atque in te uno complector omnes & ſingulos Dominos neo-promotos, deſiderio deſideravi, hanc vobiſcum honoris ſpartam dividere, Oſculum pacis & intimi amoris omnibus & ſingulis tribuo; ſtringo vos paterno affectu, ſperans, quemadmodum in me non fucatus, ſed genuinus, ſed ſincerus, ſed Germanus affectus loquitur, ita & vos impoſterum (quos hodie genui) tales filios exhibete, qui non ùt Bennoni, aut filii dolorum in turpiſſimas ingratitudinis charybdes devolvantur. Pergite ergo me ùt patrem, Facultatem Medicam ùt matrem genuino amore proſequi.

Ad Seſſionem.

SEdete jam nova Medicinæ condecorata ſydera, ſedete, condigna & deſignata vobis honorum ſubſellia occupate, quieſcite modicum, & poſt tot acria certamina prægreſſa tantiſper reſpirate, nam arcus identidem intenſus rumpitur, &

Quod

Quod caret alternâ requie, durabile non est.

Aſt videor hìc mihi veſtram indefeſſam operam omnis moræ & quietis impatientem eſſe, deſideria proinde non tradabo, Domini neo Doctores, & qui tot perplexos hactenus nodos Delphico diſſecuiſtis gladio, diſcutite cauſam, quæ hoc tempore litterario orbi tantam diſcursûs præbet materiam; an nimirum ſanguiſugorum, *Vampyrs* dictorum, actio ſit ſupernaturalis, an verò naturalis? & tu quidem Excellentiſſime Domine Laurenti Hentſchel hujus problemmatis primam partem tua pro ſparta aſſumes, alteram verò tu Excellentiſſime Domine Thoma Hirſch rationibus ponderoſis dilucidare conaberis,

PARS PRIMA.

PRO
Actione ſupernaturali, perorante
D. HENTSCHEL.

SI quid unquam miri in rerum natura factum admiratus ſum, certè ùt palàm fatear Vampyrismus (a) in ſervia fuit, qui me, atque mecum plurimos eruditos à prima Fama ad hoc usque momentum in ſummum rapuit ſtuporem, magis tamen ſtupeo hodie, dum me ob eloquentiam longè minimam etiam obſtrepentem *Promotor ſapientiſſime*

(a) *Cujus Hiſtoriam totam ſuppono ex relatione data ad Cancellariam bellicam.*

ſime de ſpinoſiſſima hac materia ſcilicet: an ſanquiſugorum, Vampyrs dictorum actio ſit ſupernaturalis, an naturalis? in tanta virorum clariſſimorum ac ſapientiſſimorum frequentiâ verba facere & quaſi ſententiam dicere jubes, quaſi tibi ignotum foret, judicium de Vampyrismo inter Philoſophos, Medicos, & Theologos graviores adhuc manere ſuſpenſum; quid jam ego ediſſero Philoſophus ex ultimo ordine, Medicus hodie natus, Theologus verò nunquam, intra ſacrum, ſaxúmque hœreo.

Opiniones, quæ hucúsque lucem viderunt, non æque omnibus ſatis probatas, atque nè ſacra lædantur, nè profana nimis evehantur, viris conſumatiſſimi judicii penetrandas & dijudicandas, ſi intimius inſpicio, vix una eſt, quæ meum ùtùt tenuem haberet aſſenſum; quid me Philoſophi penetrantiores, Medici circumſpectiores, Theologíque perſpicaciores dicturi ſunt? Vampyriſmum nudis naturæ legibus in acceptis ferre, eſt DEUM, eſt ſacra negare cum Athæo, eſt Dæmones cum Avicenna, van Dalem & Beckero (*b*) ridere, vel ſaltem bonos (*c*) cum Palingenio credere; & quid ni naturali modo Jonas tribus vixit diebus in frigido piſcis ventre, & ìllæſus ad littus ejectus eſt? hæc tenent, juſſu tamen DEI hæc facta eſſe ipſo Jona teſte (*d*) accepimus. Phantaſiæ vires mirabiles in hominibus producere effectus nemo facilè mecum negabit: teſtor Medicos, quibus Melancholici agitentur larvis, quibus vexentur ſpectris, quibus terreantur Dæmonibus, phantaſma tamen eſt, levis umbra, & leviſſimum nihil; nonne timidus veſtium ſuarum expaveſcit ſtrepitum, fugítque umbram? ne dicam amore,

(*b*) *In mundo faſcinato.* (*c*) *lib. 8. Zodiac. vit.* (*d*) *cap. 2. v. 1.*

amore, odiô, irâ occupatæ phantasiæ objecta amata, vel exosa, constanter præsentia, modò invitare ad amicos amplexus, modò excandescere facere ignes furoris; quæ omnia ùt ùt mira sunt, præoccupatæ phantasiæ tamen jure merito, optimóque adscribuntur; ast & huic soli Vampyrismum sacrum facere hominis est præjudiciis phantasticis nimis dediti, si enim Vampyrismus morbus phantasiæ est, cur non remedia talia juvant, utì caput appositô plumbeô pileô restitutum, caput nullum se habere credenti, legimus, (e) & quid ni talis Moysen somniâsse vel delirâsse affirmabit, dum ex sacris paginis legit Moysen soceri sui oves pascentem in monte Horeb ex rubo ardente & non combusto Dominum suum vidisse, atque vocem ejus audivisse, (f) aut Samsonem imaginativis delusum esse simulacris, dum ex dente molari maxillæ asini fontem vivum scaturiisse, quô sitim levaret, intelligit; (g) sympathiam & antipathiam ab aliis accusatam, hypothesin verbalem non realem judico, nullam enim naturalibus ex causis profectam agnoscimus, reliquîs non ultrà vanæ superstitionis nomen merentibus; quis enim, quæso, illum non rideret, qui Danielem in lacu famelicos inter leones sex dierum spatiô per sympathiam cum leonibus fuisse servatum affirmaret, (h) simile monstri genus ad Archæum hospitem ignotum, & non ens refugere, aut vitales elateres, aut elasticas vitalitates post mortem etiam durabiles, fermentationes salso-acido-spirituosas, pu-

 tre-

(e) *Videatur, dissert. Albert. de valetudinariis imaginariis, ejúsque Therapia imaginaria. Salzman. dissert. de Phantasia.* (f) *Exodi cap. 3. v. 12. & seq.* (g) *Lib. judic. cap. 16. v. 19.* (h) *Daniel cap. 14. v. 30. & seq.*

tredines incipientes, vel tertium quoddam ipsis authoribus necdum demonstratum, nobis verò ignotissimum hominis principium affere, (*i*) nam omnes hæ sententiæ illorum ingeniorum partus sunt, quæ nimia novitatis libido sapere non sinit, aut si sapere credantur, fidem simul omnem, quam divinis litteris debemus, aut dubiam reddere, aut infirmare videndur; verùm enim verò video te neo-promote antagonista longè avidissimum, in quam tandem, opinionibus istiusmodi rejectis sententiam concedam? si enim inter admiranda naturæ opera pro Vampyrismo neque causa, neque locus superest, si naturales vires, si rerum omnium motus infirmiores dico, quàm ut in prodigiosum Vampyrismum sufficiant, is aut verum, aut Dæmone simulatum sit miraculum, oportet; miraculum autem verum, quod effectus, qui cursum, qui vires, qui ordinem naturæ transcendit, qui ad altissimos, sanctissimósque Divinæ providentiæ fines ordinatus in creatoris æque ac creaturæ bonum redundat, miraculum verum, inquam, ut Vampyrismum dixero, summum nefas putaverim, ad malorum igitur geniorum præstigias, nocendìque libidinem jure optimô confugio, hujus veritatem proinde firmissimis, ùt spero, argumentis si probavero, te neo-promote antagonista non adeo dissentientem opinor futurum.

Omne corpus ex natura sua vitâ solutum citiùs vel tardiùs corruptioni esse obnoxium experientiâ & ratione probatum intelligimus; præ reliquis de corpore humano, id tota die ex demortuorum cadaverum subitò oriente tetrico fætore edocemur, & cui id

(*i*) *Vide comment. literar. variis in locis de hujus sententiæ Authoribus.*

id mirum videbitur? qui noſcit nulla corpora ex tam corruptibili materia conflata eſſe, qùam animalium, præſertim verò hominis, ſi itaque corpus humanum diu incorruptum tum quoad ſolida, tum præſertim fluida; ſanguinem balſamicum, adhuc nutrientem cutem, ungues, capillos, ſolidam pinquedinem, viſcera, & ſic partes omnes, utì fit in Vampyris Medvegiæ in Servia, conſervetur (*k*) ſi redeuntes (ùt opinio eſt) Vpieres Regni Poloniæ, cum Vampyris maximam affinitatem colentes, incorrupti in tumulis inveniantur, (*l*) ſi hæreticorum & excommunicatorum indurata tympanitica facta, atque ſic incorrupta inveniantur corpora in Eccleſia Græca, (*m*) ſi Sveno Rex Daniæ tyrannidis causâ diris devotus à Libentio Epiſcopo Hamburgenſi poſt ſeptuaginta annos integer repertus, diris verò ſolutus in cineres abiit (*n*) ſi corpus S. Franciſci Xaverii, S. Catharinæ Bononienſis, ſi ſanquis mirabiliter ebulliens S. Januarii Neapoli, ſi linqua venerandiſſima S. Joannis Nepomuceni Pragæ poſt ſæcula adhuc incorrupta, in Eccleſia noſtra ſola ſalvifica, conſerventur absque omni artis auxilio, (*o*) quid ni iſta videns, rem ſtupendam, miraculoſámque exclamabit? quidni quilibet miraculum dicet verum? dum bonum, tum in Creatorem, tum in creaturam redundare ex his obſervat, & an non Dæmone ſimulatum, falsúmque affirmabit miraculum,

(*k*) *Teſte relatione data ad Cancellariam bellicam.* (*l*) *Teſte Gabriele Azozynsky hiſt. nat. curios. Reg. Polon. & act. Lipſiens. de cruent. cadav ad Annum* 1722. *menſ. Jan. pag.* 17. (*m*) *ùt teſtatur Joan. Mich. Heinecii lib. quem inſcribit, imago Eccleſiæ Græcæ parte* 3. *pag* 419. *ubi. ex. de abſol. tympanit. in Eccleſ. Græca.* (*n*) *Cranz. l.* 3. *cap* 42. *&* 48. *Zwing. in theat. vit. hum. vol.* 2. *lib.* 7. *pag.* 566. (*o*) *ùt legere eſt in vita horum Sanctorum.*

lum, dum pessima exinde scaturire cognoscit, dubitare amplius nequeo, si superstitiones pessimas, ulciscendi injuriam occasiones, si ex incusso metu inter parentes, cognatos, vicinósque ortos morbos, si remedia superstitiosa contra Vampyrismum adhibita, si injurias innocentissimis etiam illatas considero; fines profectò pessimos, & ad perniciem generis humani à cacodæmone excogitatos intelligo ita, ut jure merito Vampyrismum effectum præstigiosum compellaverim.

Sed oppones forte neo-promote antagonista? nullam in corpus Dæmonem habere potestatem, nullos in rerum natura posse producere effectus, nullas facere posse præstigias, & sic etiam corpus Vampyrorum ùt incorruptum oculis objicere, quia hæc à certis motuum legibus dependent, quas DEUS sancivit solus, solusque suspendere potest, & sic ex suspensis motûs legibus facere miracula & apparentias. At miser sapiens, an te unus Connor ex Calvini asseclis doctrinâ suâ ita in sui rapuit amorem, ut tam impiè cum illo longè damnatam ab Ecclesia nostra Sententiam recoquas, asserentem: DEUM esse causam immediatam omnis motûs & effectûs, consequenter etiam peccati, & sic Dæmonem nullas facere posse præstigias, & quæ plura sunt absurdissima, damnosissimáque, quæ inde sequuntur; dicam proinde, quod sentio, si in vase, ubi per antliam pneumaticam aër est extractus, si in liquore aluminoso, si in fodinis metallinis post sæcula incorrupta corpora inveniantur; si viri octo septimanis sub glacie delitescentes, dein extracti, benè foti stillent sanguinem recentem, incorruptum,

per

per os naresque sat copiosum, (*p*) si corpus Alexandri M. in calidissima Mesopotania per septem dies aëri expositum absque fœtore incorruptum servatum est (*q*) imo, si, quod maxime studendum, juvenis 17. an. sub aquis septem septimanis moratus, mortuus habitus, fotu calido longiore tempore instituto ad vitam est revocatus, (*r*) atque id naturali modo & remedio factum est; quid ni Dæmon, cui donorum naturalium peccando nullum sublatum est (*s*) applicando activa passivis, quod longâ experientiâ doctus est, ùt communis Philosophorum, Theologorumque nostræ fidei est Sententia, tales effectus per naturalia media vel præstigias ad suum semper pessimum finem producere poterit; ut itáque probatum fiat Dæmonem præstigias facere posse, sisto in scenam Simonem magum, (*t*) heu, quas non præstigias per hunc fecit cacodæmon en modò creat (si tamen hoc creare est) novum ex aëre hominem, saxa ùt lutum frangit, statuas loqui & ambulare jubet, falx inanima metit sibi soli relicta, modò in medio flammæ incombustus stat phænix, modò bifrons vult coli Janus, modò Protheus est, qui se formas mutavit in omnes, mortuos resurgere imperat, atque violenta morte occisorum animas Juramento ex itinere revocat, & plures tales facit præstigias; ùt taceam, quæ Zictonus Boemus ridicula fecit (*u*) & quæ Zedechias Ju-

D dæus

(*p*) *Ut acta erud. narrant. in lib. Parochi Wirtenbergensis, cui titulus: dies tristitiæ Rotenackerensis.* (*q*) *Teste Curtio lib. 10. cap. 4. §. 9. & seq.* (*r*) *Testantur id ephemerid. nat. curios. dead. 1. ad an. 5.* (*s*) *Teste Dionysio Athenienſi cap. 4. de Divinis.* (*t*) *de quo apud Clem. Rom. lib. 2. de recogn. & lib. 6. const. Apost. nec non apud Nicenum Q. 23. in sacr. script.* (*u*) *Del Rio lib. de inquis. magic.*

dæus tempore Ludovici pii vivens ſtupenda exercuit (*v*) atque quibus Eonem hæreticum magum cognovit mundus, (*w*) unum hìc addo magum, ſcilicèt: quendam innocentiſſimam fortè puellam rapuiſſe, atque equo ligneo impoſitam per aëra ſub nube denſa abduxiſſe, (*x*) quæ jam fides erit iis, qui negant Diabolum poſſe corpora ferre per aëra; (*y*) ex his itaque allatis magorum artibus, quis non videt? ſi magi talia poſſunt Dæmonis pactô vel expreſsô vel implicitô (*z*) ſibi devicti ope, quid per ſe præſtare poterit jubente vel permittente DEO? Juſſit DEUS, teſte (*aa*) ſcripturâ dicens: en Sathana, Job ſit in manibus tuis; permiſit, ut reduceret verum, vel ſaltem (*bb*) fingeret Samuelem à vetula magicîs inſtructa artibûs petitum jubente Saul; permiſit, ut Glaucomata plurima luderet cum corpore Moyſis, (*cc*) donec Angelum Michaëlem contra eum miſiſſet, ſic ridebat Curtium Rufum ſub forma mulieris, Athenadorum Philoſophum ſenis macie, ac ſquallore confecti ſpecie, (*dd*) Caſſium ſub imagine Julii Cæſaris præliantis; (*ee*) ut de aliis præſtigiis millenis verba non faciam; & quis jam, quæſo, imbellem adeò credet Diabolum? ùt moderno tempore plurimi, ſi enim tot, tantáque tum per ſe, tum per magos fecit, eccur non etiam modò poterit? (*ff*) ignota certè non

ſunt

(*v*) *Del Rio p. 121.* (*w*) *Quiliel. Neubrig. lib 1. Hiſt. cap. 19* (*x*) *Robertus Triezius Inſulenſis lib. de technis & impoſturis Dæmonum cap. 5.* (*y*) *Fr. Hoffm. opuſc. de potent. Diab. in corp. hum.* (*z*) *Iſaias Propheta cap. 28. v. 15. Cæſarius Heiſterb. lib. 2. de miraculis cap. 12. de nobili Leodicenſi.* (*aa*) *Job. cap 2.* (*bb*) *Lib. 1. reg. cap. 28 v. 7. & ſeq.* (*cc*) *Lib. Judæ 9.* (*dd*) *Teſte Plinio 2. lib. 7. epiſt. 27.* (*ee*) *Val. max. lib. 1. cap. 8. item Frommannus in tract. de faſcinat. pag. 786.* (*ff*) *diſſert. Albert. de potent. Diaboli.*

ſunt fœdiſſima Jobis ulcera, affectus peſſimi, quibus obſeſſus in Evangelio cruciabatur, quibus defactò vexantur Energumeni, nec ignoti Medicis morbi intricatiſſimi ferè omnem medelam reſpuentes à Diabolo inducti (*gg*), & quæ plura ſunt, quæ præſtitit, & adhuc præſtat, non tamen ego ſum ille, qui regem Dæmonum vim, à quo Chriſtus docuit, maximè fractam eſſe (*hh*), aſt ut omnem ipſis demam, & naturalibus legibus omnem effectum explicandum eſſe judicem, eò, ùt palàm fatear, induci nunquam potero, terret me enim fulmen Chriſtiani cujusdam Medici, qui dicit: non ſine ſtupore videmus hodie, quod in claritate Verbi Divini tot Chriſtiani Theologi, Politici, & Medici per Beccheri, doctrinâ Carteſii ſeducti, & aliorum ſcripta excæcati per adæmonitium naturaliſmum, aut Diabolos planè negant, aut eorum potentiam ita abſcondunt, quaſi vix ullam in corpora humana poteſtatem haberent contra clariſſimos ſacræ ſcripturæ textus, ſi itaque Dæmon nocuit ſanctis, & piiſſimis, ſi adhuc nocet permittente DEO, & nocere poteſt, & vult, uti clarum eſt, atque libentiſſimè circa corpora, velſaltem cadavera ſuasludit præſtigias (*ii*), quis, quæſo, tam excæcatæ mentis erit? ut non ſub Vampyriſmo in Servia Diabolum manibus palpare poſſe, atque luſum ſuum hìc habere mecum affirmaret, profectó nullus, qui hunc, ejúsque vires, technásque cognoſcit; quid enim ſibi vult corporis

(*gg*) *Fernil. de abdit. rer. cauſis lib. 2. cap. 60. mercklinus 60. morbos magic. & Diab. in unum tract. colligens.* (*hh*) *Athan. de incarn. Verbi DEI cap. 47. pag. 88. Juſt. Mart. in dialog. cum tryph. Jud. pag. 149. Dion. Alex. apud Euſeb. lib. 7. cap. 10.* (*ii*) *Vide math. cap. 8. v. 28. & ſeq.*

poris incorruptibilitas in terra limoſa, humida, maximè ad corruptionem corpora diſponente? quid ſanguine maculata corporis ſuperficies? quid pedes, digiti, manus, unques recentes, cutis nova, capilli novi habitis in vita rejectis, & quid ſanguis planè balſamicus, copioſiſſimus, & alia talia prodigioſa, quæ in Arnondi Paole cadavere fuêre inventa? quid viſcera Hanackæ incorrupta? quid Milizæ ſexagenariæ in vivis exſuccæ, morbo longo conſumptiſſimæ pinquedo & carnoſitas ſani hominis inſtar? & plurima talia, nonne omnia pleno ore præſtigias clamant Dæmonis?

Aſt dices fortè neo-promote antagoniſta, hæc facta eſſe per conſervatricem virtutem illius ſoli, ſi enim aqua certa in Ungaria induret lignum, ut ferro reſiſtat, ſi frumentum in terræ foveis longis annis conſervari poteſt incorruptum, cur non corpora humana per aliquot ſeptimanas? ſed contra eſt, cur longè breviori tempore penes, ſupra, vel infra Vampyros ſepulta corpora puellæ 10. an: Hadnacks uxoris cum ſuæ prolis Rhade 23. an: & plura alia ſunt corruptiſſima inventa? dicam: quia hæ perſonæ ſe ſuſpectas non reddiderunt, hinc nullus de his ortus metus præſtigias impedivit; & quid docuit ſtrepitus, imò forma ipſa Veſpæ ex tumulo egrediens, quid ſepulchro aſſidentes, dum eo ipſô momentô alium hôc Vampyrô fuiſſe afflictum, andirent, niſi Vampyriſmum eſſe Dæmonis præſtigias: (*kk*), nec ſapere aſylum ignorantiæ vel ignaviæ Philoſopho, & Medico indignæ eſt, dum Vampyriſmus Diabolo adſcribitur, Canon enim eſt Philoſophicus, ſcilicet: Quodcunque princi-

cipi-

(*kk*) *Vide comment. Literar.*

cipium analysin horum vel illorum phænomenon non modò non turbat, sed potius confirmat, & illustrat, illud à bono Philosopho negligi & fastidiri non debet; sed quis de efficacia & viribus alicujus mali Spiritûs analysin turbare dicit? certè nemo, nisi fortè, qui sacrilegè nullum credit; nè itaque naturam in genus humanum injuriosam dicam, nè Divinarum litterarum fidem dubiis, falsisque profanem, aut cum iis sentire videar, qui maculatâ scripturæ virginitate, supercilio elato Philosophico plus nimiùm indulgentes profano affectu sacra miscent profanis, atque insigni ingenii fastu laborant, & rerum ideas grandes, & subtilitates vulgò haud obvias, nec facilè extricabiles impotentiùs affictànt; sapientissimorum virorum sententiæ accedo, illorum videlicet, qui mecum venerantur scripturam, atque hanc ùt Philosophiæ præsidem agnoscunt.

Hisce proinde, ùt spero, meam stabilivi sententiam; Sanguisugorum, Vampyrs dictorum, actionem præstigias esse Dæmonis precibûs & doctrinâ Christi, non superstitiosis remediis eliminandas; siquis tamen est, qui spernit scripturam, & per adæmonitium naturalismum omnia explicare intendit, DEum non credit, Atheus est, cum quo mihi res nulla, nam anathemate dignum talem

D I X I.

PARS SECUNDA.

PRO

Actione naturali, perorante

D. HIRSCH.



Condonandum esset, Neo-Doctor, parce verbo, si dicam, superstitiose! condonandum, inquam, esset, si ruricola, si in litteraria hospes palæstra in tam dissonam rebus Sententiam descendisset: ast te naturalium cognitione instructum, Anatomiæ, & Chymiæ principiis imbutum, atque Medicinæ præceptis affabrè perpolitum deVampyris superficie tenus tantùm, & ex vulgi opinione contra sapientissimum plurimorum Medicorum consensum judicare, an negligentiæ, an arrogantiæ sit? aliis discutiendum relinquo.

Non ego is sum, qui omnem Dæmoni in sublunaria potentiam derogem, habet quàm maximam; sed cuncta, quæ primo intuitu portenti speciem præseferunt, in præstigiis aut miraculis reponere, est Dæmonum imperium ampliare, publicè ignorantiam profiteri, & in naturam simul, ejusque Authorem esse injurium.

Quot admirandi sine ulla sublimioris causæ suspicione effectus, te ipso teste, in hoc mundo advertuntur; *Videmus, quantâ industriâ artificialia efformantur*

tur capita, quæ vocem humanam imitantur, factitia manus tantis machinulis movetur, ut motu proprio vocabula & calamô scriptoriô in charta inaret: pyrii pulveris ope & Pyrotechnicis instrumentis currus, equos, & armatos homines in aëre repræsentamus (*a*) ex argento in spiritu nitri solutô & cum Mercurio in aqua dilutô post quadraginta dies vegetabile quoddam cum ramis & fructibus pullulat, quod arbor Dianæ à Chymicis nuncupari solet (*b*).

Si hominum industria, ingenium limitatum, & ars ad naturæ imitationem tantùm possit, quidni ipsam posse naturam minùs existimetis? cujus prototypon Divino visum est Oraculo bonum compellare (*c*). Perpendite horrendos, similésque lachrymantium ejulatus, quos collisa ad Islandiam glacies aut repercussus in subterraneis Heclæ cavitatibus ignis mentitur (*d*): considerate insuetas hominum, equorúmque formas, quas æstuantis maris unda in oppositas irruens cautes insculpsit (*e*) Ingrediamini speluncam Panormitanam (*f*), Baumanicam (*g*), Elberodensem (*h*), & Circhnizensem Carnioliæ, in queis reperiuntur lapides cum variis mineralibus, qui veras linguæ, rostri, dentis, capitis, manûs, pedis, & aliorum corporum figuras repræsentant; Quid plura? in ipsum microcosmum oculorum aciem intendite, & naturalem elinguis loquelam (*i*) choream sancti Viti, saltum Tarantulæ, & risum sardonicum scrutemini.

Vidit

(*a*) *Conor. evang. med. art.* 12. (*b*) *Juncken corp. pharm. chym. pag.* 396. (*c*) *Genes. cap.* 1. *v.* 10. 12. 18. 21. 25. 31. (*d*) *Garman. de. mirac. ment. lib.* 1. *tit.* 3. (*e*) *Conor. lib. cit.* (*f*) *Kircher lib.* 8. *M. S. sect.* 2. *c.* 4. (*g*) *Georg Hening. Bechrens. Hercin. curios. c.* 1. *pag.* 32. (*h*) *Michaël Neander phys. pag.* 124. (*i*) *Tulp. lib.* 1. *cap.* 41.

Vidit rebellis tenebrarum ſpiritus, quàm admirandus in naturæ operibus ſit Dominus, & agnovit infallibile argumentorum pondus, quibus ex ſeria creaturarum inveſtigatione in Creatoris notitiam deducimur, quare, ut ſimilis eſſet Altiſſimo (*k*) obcæcatas nonnullorum mentes eò deduxit, ut multùm naturæ, ejúsque Creatori demant, & inter præſtigias ponere non erubeſcant; jam levis infantum clamor, apellatur faſcinatio, Rheumatiſmus incantatio, catalepſis audit ectaſis, ephialtes ſui generis Dæmonium, epilepſia morbus divinus, Melancholia obſeſſio, â narcoticis ſomnus inductus eſt ſagarum volatus, & ſuperſtitioſa imaginatio præſtygiis ſæpe adnumeratur.

Tua profectò, orator Neo-Doctor! de Vampyris Sententia adeò Asmodæi technis favet, ut pro illius ſceptro ex conducto mihi peroràſſe videaris; ſed ulciſcar illatam huic univerſo injuriam, & evincam nuturalem fuiſſe Vampyrorum mortem, naturalia in cadaveribus phænomena, & ſuperſtitioſam naturalis Raſcianorum phantaſiæ de mortuis judicium.

Cuncta in pondere & menſura creata ſunt (*l*) circumſcripta certis eſt legibus naturæ poteſtas, & quia hoc univerſum duplici conſtat ſubſtantia, quarum una omnibus ineſt rebus, materia nimirum, una ubique diverſa eſt, forma ſcilicet, & ad certos determinata effectus, quos nequit, niſi certo producere motu, hinc ſequitur, quòd leges naturæ nihil ſint aliud, quàm leges motûs, quas in prima creatione indidit corporibus mundi Creator, juxta has, quisquis produci-

(*k*) *Iſaiæ cap. 14. v. 15.* (*l*) *Prov. 6. v. 2.*

ducitur effectus, naturalis eſt, ſi contra, prout in malum vel bonum tendit finem, ibi præſtigium, hìc miraculum, rurſus in duas diviſum claſſes denominatur, aliud enim quoad ſubſtantiam ſine ullo modernæ materiæ & formæ fit adminiculo, aliud quoad modum, illas quidem exigit, ſed ordinatis motûs legibus haudquaquam obſecundat. Ergo cynoſura & ariadnæum totius noſtræ controverſiæ filum ſunt ſtatutæ motûs leges, quarum ſumma eò redit, ut corpus non ſolùm motum ab alio fortioris corporis impetu, ùt cauſa, derivet, ſed & eum tamdiu retineat, donec in ambientia integrùm corpora ſervando Mathematicas decrementi proportiones exercuerit (*m*).

Quoniam verò Vampyrorum mors corporea ex cauſa ortum traxit, neceſſe eſt, eam minimè à ſtatutis motûs legibus deflexiſſe, Arnoldus ex fænario cecidit plauſtro, cæteri ferè omnes repentina adeò ſunt ægritudine oppreſſi, ut cùm ſani ſe veſperì in lectum componerent, poſt medium noctis ſubitò perpavidi, tremulenti, anxii è ſomno erumperent, tremerent, quæritarent (*n*), dum invadendi modum, & ſymptomatum ſpeciem altiùs lubet penſitare, de pernitioſa ad cerebrum metaſtaſi, melancholici humoris qualitate, & febre epidemica edocemur; metaſtaſis quidem luculenter probatur partim lochiis Stanæ non aliter recurrentibus, quàm in puerpera, quæ in Thaſo ad frigidam (*o*) aut in licizo (*p*) decubuit, partim exemplo Stanvickæ, in qua aſcendens carotides ſanguis ita infartiebat, ut non modò fauces compreſſerit, ſed & ex regurgitatione verſus viciniam

(*m*) *Confer conor evang. med. art. 6.* (*n*) *Comert. lit. Norinb. hebd. 9. &* 12. (*o*) *Hippocr. epid. l. 3. ſect. 2. ægr. 2.* (*p*) *It. l. citato ægr. 12.*

niam cordis, incubum ſub Milois ſpecie tamdiu luſerit, usquedum congeſta in cerebrum anadrome ingenti cum clamore ſomnus excuteretur, melancholiam oſtendunt, ait Hippocrates (*q*) abjectio animi, ſive metus, mœror, & ſolicitudo quæſita ipſa ſui per ſe author, & immodica, fateor, rarior in præcipitibus humor iſte caſibus exundat, ſed dum id evenit, quò minùs cum ætate ægroti, morbíque naturâ congruit, eò magis in humani internecionem corporis debacchatur; altera circa Pantimiden mulier anxia formidavit (*r*), gemellorum mater nullis perſuaſionibus flecti poterat (*s*), utraque citò periit; fæmina auſtera & aſpera ad Pyladis ædes nocte appetente, & metu, & ſermonibus multis, & animi ægritudine peſſimè conflictabatur (*t*). Si nunc attentiori illud animô pervolvimus, quòd Medvegiâ, Kuklinâ, & Kirolovâ (*u*) accepimus, quid inflammatus in Stana uterus? quid purulentum puſionis cerebrum, Stanvickæ ſepulti in pectore dolores, fratris rubra infra aures, quaſi ſignum naſcentis parotidis, macula teſtatur? quid? malignas febrium proprietates, fætum frigidiarum in Ungaria ſæpè noctium: nempe à perfrigeratione metus & mœror (*x*) longéque peſſimus, qui ex ſomno ſuam ducit originem (*y*), aut tremorem concomitatur (*z*).

Non jam admiremini puerperas, multósque infantes deformi hac lue depopulatos, nemo tranſpirationis magis indiget, quam frigus ſuſtulit. Non juven-

(*q*) *Apud Duret. in coac. l. 2. c. 2.* (*r*) *Hippocr. epid. l. 3. ſect. 1. ægr. 11.* (*s*) *It. l. cit. ſect. 2. ægr. 14.* (*t*) *It. l. cit. ægr. 11. Comert. lit. Norinb. hebd. 9, 12, 18, &c.* (*x*) *Hip. coac. 20.* (*y*) *It. aph. 67. ſect. 4.* (*z*) *Prorit. 14. ſect. 1.*

juvenum & plures, & citiſſimas mortes obſtupeſcite, non lentum ſexagenariæ Milizæ occaſum; ſenibus enim febres non ſimiliter acutæ ſunt (*aa*), & qui morbi ipſis accidunt, maxima ex parte comitantur ad mortem (*bb*). Quàm verſipellis febrium eſt indoles, quàm larvato incedunt greſſu, quàm diſpari mortales ſelectu trucidant, modò in ſervas acriùs incurrunt, mitiùs in liberas, modò venerando fæminarum parcunt ſexui, & viros proſternunt, (*cc*) ſæpe agricolas, ſæpe urbanos tantùm depopulantur (*dd*) in Auſtrina præteriit conſtitutione fullones (*ee*), in Pariſina coriarios (*ff*), in Mutinenſi Judæos (*gg*), & nupera lues in Servia dedignata eſt cum advenis ditioris fortunæ homines, ut integrô in pedites venenô deſæviret, ſivè amictus tenuior, ſivè immoderatus porri, alii & ceparum eſus, ſivè potûs inſalubritas, & quod crediderim, potiùs perverſa aëris in cauſa ſit conditio.

Te *Inclyta Facultas Medica* teſtor, quoties lectiſſimas clariſſimorum Tuorum membrorum Colonias in Orientalis Ungariæ plagas duxiſti, ut vaſtantibus ibi populariter ferè ex conſuetudine morbis audacter æquè, ac ſapienter reſiſterent? etiamne illi panico ac præſtigioſo tantùm pavori tribuerunt, ut juventutem vel maximè in interitum conjicerent? apage has nugas, non infantes in cunis evaginatum formidant enſem, quis ab incognitis ſibi docuit metuere veneficiis? horrenda quidem Dæmoniacarum metamorphoſium vis eſt, & Romanorum Heroum generoſi-

(*aa*) *Hip. aph. 14. ſect. 1.* (*bb*) *It. aph. 39. ſect. 2.* (*cc*) *It. 6. epid. ſect. 7.* (*dd*) *Ramazin. de morb. opif. cap. 40.* (*ee*) *Hip. in auſt. conſtit.* (*ff*) *Schenckius in obſerv.* (*gg*) *Ramazin. ibid. cap. 34.*

roſiſſimum Druſum Germanicum tragicæ aſpectus mulieris adeò perterruit, ut pauco poſt tempore vitam reliquerit (*bb*), cur in advenas Germanos nihil tuæ poterant præſtigiæ? peritiſſima Magiæ creditur eſſe Servia; exteri ob coactam ſuſtentationem milites, conflatus diverſa ex religione exercitus; *nulla fides, pietásque viris, qui caſtra ſequuntur.* Anne Raſcianorum veneficis tanti Cæſareanæ æſtimentur cohortes, ut in ſua libentiùs hanc peſtem viſcera, agnatos, liberos, populareſque convertant; credat hæc Judæus, ego verò, utì naturalem Vampyrorum mortem firmiſſimis ſtabilivi argumentis, ita pari cum evidentia me naturalibus ex cauſis emergentia poſt mortem phænomena demonſtraturum confido.

Tria præcipuè in Vampyris poſt mortem admiraris Orator Neo-Doctor! remanentem dudum coccineum ſanguinis fluorem, corpora incorrupta, & ignobilium quarundam partium augmentum; atque ut à primo ordiar, diverſam à fluentis cæteris ſortem purpureum humanæ vitæ nectar poſſidet, extractum enim per phlebotomiam nonnunquam ſubitò uſitatum efformat coagulum, nonnunquam omnes conſtanter grumos, aut ob molecularum ſubtilitatem, aut ob proportionatam motûs ab ambientibus communicationem reſpuit, utramque hanc cauſam in Vampyrorum invenio cadaveribus, quarum poſterior calor eſt, non ille ad tactum, ſed qualis ad ciendas in frigore fermentationes & ad impediendam tunc ſufficit humorum ſpiſſitudinem, cum extrema perfrigerantur, vel graviores infeſtant hyſtericarum inſultus; utì enim æſtivo tempore, aut in phiola ad lenem ignis calo-

(*bb*) *Tacitus l. 3. annal. de Druſo, & Svetonius in Tiberium.*

calorem (*ii*), ita tepente per hyemis antiperiſtaſin ſarcophago ſanguinis licet inaugurari fluorem. Quod ſi verò prioris ſimul fiat cauſæ acceſſio, tantámque humores in malignis adepti ſint reſolutionem, ut leviſſimo aëris motui ad nutum obſecundent, cruor vix aut ne vix quidem à fluidorum natura decedet; noſcis Orator adverſarie! quanto rubore per artem ſæpe rutilet ſanguis? quàm lubrico conſiſtat pede? injice nitrum (*kk*), inſtilla, quod deſtillatione prodiit, acetum (*ll*), non concreſcit, ſed fluit, purpuraſcit, & ſine corruptione diutiſſimè perſiſtit, putáſne animantium machinam in alkalinos putreſcere ſales? formicæ acidum ſpirant odorem (*mm*) mel acidum liquorem fundit, ſerum, juſcula, & gelatina carnis in culinis aceſcunt; equarum lac in ſpiritum vino æmulum Tartari norunt convertere (*nn*), ſanquini inſunt noſtro acidum, dulce, acerbum & ſexcenta Hippocratis (*oo*). Sane ſi hæc omnia cum Ungarorum diæta, nitroſo regionis cælo, & diverſa epidemicorum natura lubet componere, haud difficilè concipiemus, melancholicos Vampyrorum ſuccos in vita ſaltem levem contraxiſſe acorem, qui tepido ſandapilarum fotu in tumulo tandem eſt vigorem conſecutus.

Miraris jam multorum ſpatio dierum incorruptos ſub terra delituiſſe Vampyros; miraris cæteros inter abſumptam vermibus Hadnackii uxorem. Heas Tu, admirande Neo-Doctor! hodie inter ſapientiores reponi

(*ii*) *Boerhav. inſt. chym. tom. 2.* (*kk*) *diſp. inaug. de nitro* §. 15. (*ll*) *Boerhav. inſt. chym. tom. 2. pag. 260.* (*mm*) *Wolff. Wedelius theor. ſapor. pag. 3.* (*nn*) *Juncken chym. experiment. ſect. 2. cap. 8.* (*oo*) *Hip. de natura hum. cap. 11. tex. 1. & ſeq.*

poni ambis? & miraris diverſum hominum temperamentum, ceteráque? miraris aceto contra vermes condiri viſcera, perennare in ſpiritu vini animalium cadavera, & motu fluxili fotis retardari humorum corruptelam? deme acetum carni, alius ſit in corpore humorum apparatus, profunde intruſo palo è venis cruorem, & ſine mora Vampyri cum cæteris computreſcent. Miſer Diabolus, qui non poterat vulnus occludere, inane præſtigii commentum, quod non poterat in graviorem ex admiratione metum perdurare.

Hoc fundamentum, turpis hic error eſt, in quo totius dictionis Tuæ cardo verſatur, quare tam iniquus cæterorum etiam in Vampyrismi Hiſtoria phænomenum es interpres. Quid enim hæmorrhagia oculorum, aurium, oris, narium, quid ſanguis & in corde, & pectoris cavitate, & ventriculo Ruſcæ & locis reliquis portenti alit? indies res evenit, patet tyronibus vaſorum facilè tunicas diſtrahi, ſtaſis, & vehementior humorum motio quàm ſæpiſſimè diabroſin aut rixin meditatur, attamen à Dæmonio accerſere contendis? tranſparet malignus per capillares arteriarum, venarúmque ramuſculos cruor; faciémque rubore exornat; & neſcio, quid ſtupendi in Projogavizio proclamas? turgent, & expanduntur, quin obrigeſcant enecata à veneno vel contagio cadavera, & ſubitò pinquiorem in ſepulchro evaliſſe vetulam arbitraris? excutitur ſummo per pulmones impetu, tanquam ex utre rareſcens aër, flatus in borborygmos obmurmurant, aut ſpumeſcens confeſtim ſanquis, intruſô violenter palô, per vulnus erum-

pit, & ecce! ingemiſcentem Arnoldum, & inverſo obloquentem gutture intelligis.

Miſericors nimis mihi videris, Orator adverſarie! &, ut divinari licet, Vampyrorum adhuc capillis implicitus, cuticulâque obvolutus Te nequis, niſi aduncis Aſmodæi unquibus, exrricare. Creſcant in Vampyris pili, creſcunt & in abſciſſis Turcarum capitibus (*pp*): In calvariis è cæmeterii oſſuario (*qq*), & imberbes poſt mortem aliquando evadunt barbati (*rr*) decidant antiqui, & novi propullulent ungues, nihil novi eſt, hos crebrius in ſuſpenſi cadavere reſecuit Pareus (*ss*), & in amputata manu penè mediam digiti longitudinem ſunt adepti (*tt*) Adhæreſcat deglubita unguibus cuticula, ipſum per naturam eſſe, aqua docet fervida, puer Pechlinii quot annis exuvias depoſuit (*uu*)? & morborum vis criſim cuticulâ abſcedente molitur (*xx*), quam ſi mors prævenerit, humiditas ſepulchri in actum deducit; nimirum, quamvis motum omnem, qui uni tantummodo ſanguinis circulo, & collectis in toto partibus debetur, ab interitu ſtatim animantium corpora deperdant, nemini tamen Philoſophorum perſvaſum puto, illam etiam movendi vim per fata amittendam eſſe, quæ â cauſis reliquis æquali cum promptitudine valet exequi; cuticula, pili, ungues inſenſiles ſunt corporis humani partes, coctione in gluten abeunt, in vita nunquam

(*pp*) *Valvaſor l. 3. Carniniolicæ cap. 12. pag. 116.* (*qq*) *M. C. dec. 2. n. 6. obſ. 225. pag. 472.* (*rr*) *Garm. de mirac. mort. l. 1. tit. 1. de capil. aug.* §. 21. (*ss*) *tract. de embam. condiend. cadav. apud Petrum uffenbach theſ. chyr. pag. 660.* (*tt*) Babſt Kunſt und Wunder-Buch *t. 2.* (*uu*) *Cent. 2. 42.* (*xx*) *Uratisl. Anno 1702. pag. 139. & Albrecht M. N. C. decad. 3. Anno 3. pag. 215.*

quam augeri desinunt; quin aliquæ, quantò deterior circulatio fuerit, tantò velociùs capiunt incrementum: Cur, quæso, in demortuis arborei instar musci ex residuo, viscosóque alimento vegetare negemus (*yy*).

Vides, quàm amicé tecum agam, Orator Neo-Doctor! crescere quasdam Vampyrorum partes tibi sponte largitus sum, cum in promptu fuerat dicere: emarcescente sepultorum carne pilos apparentem sortiri longitudinem (*zz*) à contortis substratorum nervulorum fibris ungues immaturos mentiri (*aaa*) ruptâ superiori cuticulæ laminâ inferiùs novam per catacresim vocari (*bbb*) sed cuncta hæc tacui, & reticebo etiamum, at, quòd Vampyros sandapilas deserere, nocturno tempore dormientium cubicula ingredi, impunéque occidere arbitreris, tacere nequeo, rumpit vocem argumenti iniquitas. O effatum dignum ad colum mulierculis! O Christianô indignissimum Philosophô! itáne felix futurus es Medicus, tu neminem, sed tui occident Vampyri: Hoc unum obtestor, cur egenos, & non divites, cur infantes, qui receptô in Ecclesia Græca more per baptismum repromissionem sunt consecuti (*ccc*)? quando jus vitæ & mortis in electos nactus est Lucifer? *Quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti sunt?* (*ddd*) fuit Job in manibus Satanæ (*eee*), equid de vita periclitabatur? anne tanta Dæmoni post natum Servatorem potestas, quibus *præceptum est, ne læderent fænum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tan-*

(*yy*) *Comert. liter. Norinb. hebd. 30.* (*zz*) *Alex. Aphrod. l. 1. problem. 145.* (*aaa*) *Comert. lit. Norinb. hebd. 32.* (*bbb*) *Ib. hebd. 24.* (*ccc*) *Act. 2. v. 38.* (*ddd*) *Job. 2. v. 7.* (*eee*) *Job. 2. v. 6.*

tantùm homines, qui non habent signum DEI in frontibus suis, & dictum est illis, ne occiderent eos (fff).

Utinam, Orator neo-Doctor! hæc antecedenter meliori ponderâsses trutinâ, non turpem adeò Superis, hominibúsque invisam propalâsses sententiam: tanti nimirum est cum vulgo sentire, ut impiè sacrosanctum Baptismi Sacramentum profanetur, absint aniles tuæ à viro prudenti fabellæ, plena sunt omnium ora superstitione Rascianorum, ridenda præficæ ad mortuos oratio, (ggg) numeroso morbus funere multò magis gentem percellit, penes quam incredibilis dominatur ignorantia, quos testes, quos autoptas producis? mulierculas, melancholicos, dormientes, ægros, pavidos: *Non sunt apud se, qui contremiscunt in febre*, inquit Divus noster Senex (*hhh*) tremula repentè exsomno exsiliit, & Miloem accusavit Stanvicka; Fortè rari quid autumas? juvenculas de nato delirare adolescente? Kuklinensis fratris vidua juvenis, & robusta demortuum est complexa maritum: Etiam Danäe Jovem, & Ilia Martem provocat, ut sceleris contegat infamiam? monstrorum non infrequens partus est (*iii*) Vampyrismi in alios propagatio est domesticum in malignis contagium; Vespæ è tumulo volatus fors aurium erat tinnitus, & nivium floccus, quem hibernis in tenebris abripuit Boreas; etenim superstitiosorum nocturna in cæmeteriis permansio quemvis facilè strepitum sinistrè interpretatur. Si ais, non neminem illo ipso tempore fuisse Vampyro compressum: Non Vampyr, sed de more ingra-

 ves-

(*fff*) *Apocal. cap. 9. v. 4. & 5.* (*ggg*) *Comert. lit. Norinb. hebd. 37.* (*hhh*) *Hip. Aph. 26. sect. 6.* (*iii*) *A. M. C. cent. 1. obs. 166. pag. 337. it Act. Erud. Lips. Anno 1712. Aug. pag. 349.*

vescentis tunc fuit epidemici exacerbatio. Quid Paole? quid phantasmata fratrum? quid palus? quid sanquinis inunctio? firmæ melancholicorum sunt persvasiones, & adeò apta ad idæas corrigendas remedia, (*kkk*) ut, postquam magligna simul aëris constitutio ob successivam mensium revolutionem permutaretur, temporaria Vampyrorum lues perubique exterminata desæviret.

Eja igitur, quousque tandem, Orator Neo-Doctor! naturalium scrutatores operum calumniaberis? quousque in augendo Dæmonum imperio desudabis? nihilne vastissima naturæ potentia ad operandum? nihil summa Authoris sapientia ad dirigendum? nihil legum motûs cognitio ad persvadendum? nihil causarum evidentia ad intelligendum? nihil Sacramentorum dignitas ad colendum? nihil Rascianorum valet superstitio ad decipiendum? Christianus es, & non credis? Philosophus es, & non percipis? Medicus es, & ægros derelinquis? fortè nullus phlebotomo locus, dum sanguis exundat? (*lll*) nullus fixorum usus bezoardicorum, dum malignitas febrium exurit? incassum calcitras, fulminas, & dignos anathemate Physicos judicas, de naturalium causa rerum agitur, cautiùs cum Zacharia summo Pontifice (*mmm*) mercari disce, & non solùm Vampyrismum Medvegiæ in Servia secundùm naturam esse perspicuè cognosces, verùm etiam palam profiteberis, neminem ritè de miraculorum, & præstigiarum veritate judicare posse, si ordinatas motûs leges ignorat: Nunquid

(*kkk*) *Tulpy observ. de ludicris melancholicorum curis lit.* 1. c. 18. 19. 50. & 54. (*lll*) *Sydenhaimius de peste Anni* 1665. (*mmm*) *Avent. de annal. Bojor.* 3. 9. & *Mauritii Hoffm. dissert. geograph. de Antip.*

quid enim is ſolidè diſcernere novit, quantùm à moderno rerum ordine effectus recedit, qui, quantum natura poſſit, neglectâ Matheſeos, Anatomiæ, Chymiæ, & Philoſophiæ naturalis ſcientiâ, non abundè ſatis comprehendit.

D I X I.

Deciſio.

NOn minùs acutè, quàm argutè uterque veſtrûm ſpartam ſuam pro viribus defendere conatus eſt, Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores! avidi, ùt video, meam deſideratis Sententiam, ſequar proin intentionem ethnici licèt, ſapientiſſimi tamen morum Magiſtri Senecæ inquientis: omnibus credere velle, aut nulli, utrumque vitium eſt; honeſtius alterum, alterum tutius. Hoc proinde in adeò abſtracto negotio Vampyrismus ſic dictus per in arte Medica verſatos practicos (de quorum vel unius præſentia nulla publico communicata ſcripta commemorant) per Chyrurgos, alióſque omnis præoccupationis, vulgíque ſuperſtitionis expertes cordatos viros disquirendus venit, interim felices mediam tenuêre viam.

ADHORTATIO
Ad gratiarum actiones.

REſtat nunc Excellentiſſimi Domini Neo-Doctores, ut tum pro collato vobis honoris & dignitatis gradu, tum pro gratioſa præſentia & habita patien-

 tia

tia grates pariter competentes tam Divis Cælitibus, quàm vivis, atque defunctis benefactoribus eâ, quâ par eſt, honorum conteſtatione rependatis; agite ergo, ſatisfacite obligationibus veſtris, ut huic veſtro honori deſignato actui honorificus pariter finis imponatur.

Ad DEUM *& Cœlites* D. LEHR.

TIbi *Sanctiſſima Trias* immortales rependimus grates, quòd nos ſupremam honoris noſtri diem attingere, & ad Doctoratûs Lauream promotum iri dederis; votum enixè ſubjungimus Te conſtanter de genu adorandi, honorémque Tuum ſemper tuendi, ſupplici voce precantes, ut DEUS Pater nos conſervet, Filius tueatur, & Paraclytus Spiritus Sapientiæ ſuæ radiis illuminet. Poſt Triadem ad Te *æternæ Sapientiæ Genitrix, Virgo absque omni nævo concepta, mille gratiis fæcundiſſima!* nos convertimus gratias agentes, quòd toties iratum Numen ad exoptatam clementiam flexeris, & juſtiſſimæ Nemeſi Te ſcutum inexpugnabile objeceris. Vobis etiam *Geminis ſcientiæ Medicæ ſoſpitatoribus Divis Coſmæ & Damiano cum reliqua ſancta cohorte Medica* gratias rependimus, exoramúsque, ut velitis ſubſidio Veſtro nobis ſuccurrere, & impetrare, ut lanquentibus ope & conſiliô tutiſſimè conſulere valeamus.

Ad Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam

D. DIETMAN.

VObis nunc *Sereniſſimæ Umbræ*, *Celeberrimæ & Antiquiſſimæ Univerſitatis hujus*, *Inclytæque Facultatis noſtræ Fundatorum*, *Auguſti Auguſtiſſimorum Cæſarum Manes*, ſcientiarum hoc Trophæum in gratitudinis æternæ Aram conſecrare fas eſt. Vos, qui Divos inter Cœlites jamjam recepti immortalitatis feliciſſimæ Coronâ gloriamini, noſtram quoque Doctorum Lauream Veſtris Honoribus ſuſpenſam, velut æternum pignus accipite; illóque uno lætitiam, quam hodie agimus, cumulate, ut in Aris his quoque Veſtris olim ſpes Regnorum omnium, Orbisque ſolatium, Hæres Sereniſſimus Auguſtæ Domûs Veſtræ adoretur. Vobis quoque *Auguſtiſſimi Principes*, *Majeſtates Cæſareæ*, *Sacratiſſime*, *ac Invictiſſime* CAROLE, & ELISABETHA *Auguſta*, grates ſubmiſſo poplite dicimus, Quorum Auguſtiſſimâ Clementiâ hoc honoris Theatrum tandem conſcendere nobis datum eſt. Hoc hodiè, gratitudinis ergò, Clementiæ Veſtræ anathema ſtatuimus, in quo, quâ pietate in litteras, litterarúmque cultores fueritis, longa retrò poſteritas leget. Neque enim alium gratiarum cenſum Auguſtæ Munificentiæ Veſtræ aptiorem judicavimus, quàm ſi Purpuras noſtras, quibûs Veſtris Auſpiciis hodiè fulgemus, nosque ipſos Auguſtis pedibus ſubſternamus.

Ad Magnificum D. Rectorem, & DD. Proceres Universitatis D. RAUCH.

PErſolutô Sacro-Sanctæ Triados, Divorum Tutelarium, Auguſtiſſimæque Domûs Auſtriacæ tributô, neceſſe jam ducimus, ut & Tibi *Perilluſtris ac Magnifice Domine Univerſitatis Rector*, & Vobis *Domini Proceres Ampliſſimi*, gratiarum, ac par eſt, demiſiſſimarum rependamus debitum. Intenderemus id quidem eò efficaciùs, niſi virium noſtrarum obſtaret imbecillitas, ſparsâ aliundè famâ incredibilis elucefcit gloriæ Veſtræ ſplendor, tum apud Veſtros, tum apud exteras gentes comprobatus. Ecquis, me Herclè! glorioſi hujus anni curriculum non demirabitur, deprædicabit? ſi in ampliſſimi hujus orbis augmentum inquirimus, ab uno Adamo, Proto-Parente noſtro univerſum mortalium genus propullulâſſe, in diverſas abiîſſe plagas, & in majorem indies numerum excreſcere videmus; mundúmque in quatuor diviſum eſſe partes quis ignorabit? & ſanè in ornatiſſimo hoc ſapientiſſimorum virorum confeſſu intuemur quatuor Magnifici orbis partes, quas ſingulas una ſobole amplificare acquievit unus Adamus. O terque, quaterque felicem diem! ſepties & amplius axem vertente ſole, mirîs priùs ambagibûs, arduo, aſt conſtanti pede Apollineam Partem ingredi, atque hoc honoris culmen conſcendere hodiedum nobis conceſſit benevolentia Veſtra. Decet jam, ùt, dum ſingularem hanc felicitatem mente recolimus, gratitudinis noſtræ pignus reddamus. Accipite tamdiu, donec reciſô vitæ no-

noſtræ filô elingues ſuccumbamus, memoria verò, ſi quæ noſtrî eſt, honoribus Veſtris ſacrata ſit. Fove Orbis Litterarie filios hodierna luce receptos, atque jucundæ hujus diei recordationem intemeratâ fide veneraturis fave.

Ad Spectabilem D. Promotorem D. BESNECKER.

NOn equidem læthei fontis undam nos delibâſſe arbitreris *Prænobilis, Spectabilis, Clariſſime, & Excellentiſſime Domine Decane, nec non Promotor Sapientiſſime!* Non ingratitudinis, inquam, aut ôbliteratæ indolis nos redargue, quæ collata ſibi beneficia oblivionis puteo immergere, ac perpetua taciturnitate ſepelire aſſolet; nefas ſiquidem eſſet, ingratô ſilentiô præterire Eum, ſub cujus gratioſis favoribus deluſa per lentas ſpes vota noſtra felicitatem ſuam non ignorant, cujúsque Spectabili Præſidio impertita ſub amico amplexu Doctoralis Laureæ inſignia cum Epomide in acceptis referenda ſunt. Ut ùt igitur pro ſuaviſſimi Nominis Tui prærogativa Doctorum Chlamydem, hac tempeſtate nobis expectatiſſimam, amica contuliſti manu: ità palliatîs licèt humerîs, infucatô tamen animi reſpectu debitum, gratiſſimúmque pro hac gratia deponimus Homagium, quòd ubi præſtamus, profectò nihil aliud, quàm grates gratiis reciprocamus. Suſcipe hinc, *Promotor amiciſſime, ſapientiſſiméque!* prolixas, non quas ferre debemus, ſed quaſcunque valemus, gratias; cumque in viribus noſtris præter vota nîl ſit reconditum, iſthæc Tibi offerimus, ſed ingenua, ſed ſincera, non improba, non inania, neque

neque ad speciem effecta: ut amico scilicet Numine derivatæ in nos gratiæ, honorúmque rivuli in Te *Promotor faventissime!* velut originem suam redundantes, amici Nominis Tui deprædicent favorem, gloriámque Ei pariant nullis unquam temporum injuriis arietandam. Et prout ad hunc publicum Honoris actum, tanquàm ad fortunæ nostræ, futuræque felicitatis portum, per dura licèt, & aspera salvi Te Duce appulimus; sic tandem in perenne gratitudinis vectigal

Per Te supremâ redimitos Tempora Laurô
Nulla dies unquam memori nos eximet ævo.

Ad D. D. Hospites

D. STEINDL.

VObis denique *Excellentissimi*, *Reverendissimi*, *Illustrissimi*, *ac Amplissimi*, *cæteríque suis titulis Dignissimi D. D. Spectatores!* Vobis, inquam, omnibus, & singulis, qui gratiosissimâ præsentiâ Vestrâ hanc spectatissimam adornare coronam haud dedignati estis, in obsequiosissimam gratitudinis tesseram submisissima, ùt par est, devotione summas expendimus grates, id unum à vobis exorantes humanissimè, ut conatus hos exiguos, eâ, quâ consuevistis, serenâ fronte accipiatis, atque gratias & favores Vestros munificè nobis experiri faciatis, qui pro collatis erga nos amplissimis beneficiis dignitatum Vestrarum in omne ævum perseverabimus

Encomistæ.

ERRATA CORRIGE.

Fol. 15. lin. 16 delphica, lege delphico. f. 19. l. 4, tradabo lege, tardabo. f. 20. l. 9. Athæus, lege, Atheus. f. 26. l. 12. Sathana, lege, Satana.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

NITRO

QUAM

D. T. O. M. A.

DECRETO, AUTHORITATE, ET CONSENSU PERILLUSTRIUM, MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM, PRÆNOBILIUM, EXCELLENTISSIMORUM, atque CLARISSIMORUM VIRORUM &c. Perillustris Magnifici, ac Consultissimi Domini Universitatis Rectoris, Prænobilis, Spectabilis Clarissimi, ac Excellentissimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæsar. Regiæque Cathol. Majest. Dominorum, Dominorum Consiliariorum, & Archiatrorum, Professorum &c. adeóque totius amplissimi

D. D. MEDICORUM COLLEGII

IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA

UNIVERSITATE VIENNENSI

PRO CONSEQUENDO DOCTORATUS GRADU

Publicæ Disquisitioni submittit Author

THOMAS HIRSCH,

Carniolus Rattmanstorffensis AA. LL., & Philosophiæ Magister, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, approbatus, nec non pro Supremâ Laureâ Candidatus,

IN PUBLICO D. D. MEDICORUM COLLEGIO

Horis post meridiem consuetis, Die 9. Mense Julii Annô MDCCXXXII

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Andreæ Heyinger, Universitatis Typographi.

ta duo quæque adversa solent ad parallelismum (a) accedere, super quæ modò Rhombi, modò pentagona disseminantur, ex alterâ parte mucrone quodam pyramidis instar acuminatô desinunt. Figura hæc adeò constans est, ut quamvis in minutias quocunque modô discerpatur, in frigidâ tamen per crystallisationem reviviscat: Quidquid Wedelius (b) ex quadratâ nitri antimoniati figurâ in contrarium adferat.

§. IV. Crystalli hæ ad latera vasis sese appendunt (c), dum econtra salis communis fundum petunt: statera etiam demonstrat particulam, quæ pependit in aëre gr. 60.

⦶ri	ponderare in	gr: 32.
Salis nitri fixi	spiritu vini	: 42. (d)

Rursus massa plumbea in aëre granorum 455. ponderat in

∾ nitri albô - - - - - - -		397.
Liquore nitri fixi - - - - - -		407.
Crystal. ⦶ri ℥ß in aquæ ℔j solut. - - -	Gr:	426.
∾ nitri dulci - - - - - - - -		414.
Aquâ communi - - - - - -		idem.

Quin si ulteriùs areometrô gravitas examinetur, demergitur in aquæ fontis Librâ ß solutis ʒij

Crystallis, floribus, vel lapide prunellæ		12:
⦶rô antimoniatô - - - - : -		11: §.6.(e)
Liquore ⦶ri fixi - - - - - : : -		6:
Spiritu ⦶ri albô - - - -	ad gradum:	
dulci - - - - - : -		14
∇â communi - - - - - : -		14.

§. V. Duo sunt communissima ⦶ri solventia, aqua, & ignis, quæ Hoffmanus pater conjungit, dum suum nitrum fixum parat, quod quinquies in crucibulô fundit, & toties in aquam bullientem projicit; donec fiat insipidum: si diutiùs operatio hæc præsertim cum lapide prunellæ continuaretur, probabiliter in phlegma, & terram virgineam converteretur (e). Quod author catenæ aureæ nomine fixationis nitri innuisse videtur (f).

§. VI. Igitur oleum, & spiritus rectificati nitrum non soluunt, & hinc tincturæ ejus raræ sunt, eæque, aut non genuinæ: ut tinctura nitri Glauberi (g) potiùs lanæ dici meretur: vel cum nitrô alkalizatô, tan-

(a) *Lister. de font. med. p. 12.* (b) *Pharm. in art. form. red. p. 13.* (c) *Hoff. l. c. p. 111.* (d) *Freind in Tabul. l. c.* (e) *Junken exp. circa nat. princ. per totum.* (f) *pag. 61.* (g) *vide, Corp. Pharm. Junk.*

tanquam adjumentô, parantur, ut elixir aperit: menstru: Tinctura antimonii cum liquore nitri fixi (*a*): vel saltem menstruum ejus multô phlegmate pollet: sic nitrum ingreditur liquorem tartari spleneticum (*a*) essentiam vulnerariam Lentilii, tincturam odontalgicam Mynsichti, senæ Hoffmani (*b*), antifebrilem extemporaneam, & antihypocondriacam (*a*) sed omnes cum ▽, acetô &c fiunt, præter ultimam, quæ pariter, ut quidquam de nitrô participet, spiritum nitri dulcem minùs dephlegmatum requirit. Verùm quanquàm aqua primum sit nitri solvens, in ejus tamen lbrâ; non ultrà drachmas 6 nitri diffluit (*c*), sed citiùs, quàm vel vitriolum, vel sal communis Anglicanus (*d*), præprimis agitatione levi, & calore adhibitô: si ejusmodi solutio cum crystallis facta sit, limpidissima (*e*) est: cum floribus nitri, & lapide prunellæ fere Limpido-albescit, & cum nitrô antimoniatô quasi lactescit, materiâ antimoniali ad fundum deciduâ.

§. VII. Varius solutionis nitri usus est: 1mò edulcorationis: taliter sal prunellæ minùs acris redditur. 2dò: mixtionis: ut in ♀rô nitratô, nitrô perlatô (*a*) Saturnizatô, corolatô, (*f*) cernimus. 3tiò: colorationis, & insuccationis, ut in nitrô papaverinô (*a*) violatô, rosatô, catharcticô, alexipharmacô, cum succô acetosellæ &c, essentificatô, (*g*) aut cum tincturâ, vel rob berberum, mororum &c. factô. (*h*) 4tò depurationis §. 2, & dum per poros ollæ non vitreatæ in frigore instar lanuginis foris abit in flores. 5tò destillationis: ideo Zwelferus (*i*) per longas digestiones, & cohobationes aliquid per retortam ex nitrô transire putat: sed fors phlegma (§. 5. e.) solùm est: ex quo apparet, quid de aquâ Regis Ferdinandi Secundi ex nitrô sentiendum (*k*). 6tò frigoris: nitrum enim mediâ æstate aquam in glaciem convertit (*l*)

§. VIII. Nitrum igne inter omnes sales facillimè fluit (*m*), & absque additione vaporem, & flammam non suppeditat, nisi Balduini methodô (*n*) crucibulum operculô in mediô perforatô muniatur. Duæ ab igne præcipuæ operationes emergunt, calcinatio, & destillatio.

§. IX. Calcinatio absolvitur vel Alkhalini puri, vel sulphurei quasi, corporis additione: in illa consumitur aquositas, & nullum tonitru, sed nitri major adeò fixi proventus (*o*) conspicitur, ut si rursus igne liquetur, etiam injectô sulphure non commoveatur (*p*)

 §. X.

(a) *Disp. pharm. Vien.* (b) *corp. pharm. chy. Junk.* (c) *Hoff. l. c. p. 135.* (d). *freind l. cit.* (f) *Schröd. l. cit. cap. 13.* (g) *Zwelff. l. c. part. 2. c. 12.* (h) *Maurit. Hoff. act. Lab. altorf. p. 190.* (i) *Pharm. Aug. p. 309.* (k) *Sorbai. prax: med. l. 1. s. 7. pag. 35.* (l) *Kirche: de mund. subt. t. 1. l. 6. S. 2. c. 2.* (m) *Boerh. l. c. p. 104.* (n) *in ♀re ⊖ea c. 7. p. 32.* (o) *Hoff. l. c. p. 112.* (p) *Caten. aurea. p. 66.*

§. X. Hæc tonat, & pro diverſitate additi varios edit effectus: Zincum, Bismutum, arſenicum, cobaltum, ſtannum, plumbum in calcem aquâ vehementer ebullientem redigitur: antimonium in regulum, &c. aurum verò, & argentum ab antimoniô depuratvr.(*a*) cum ſale ammoniacô fit nitrum ammoniacatum Wedelii(*b*), cum tartari crudi anâ, pulvis niger, & virideſcens metallurgorum ad ſeparandas mineras (*c*), cum tartari duplô autem ad conſtituendum liquorem de tribus idoneus (*d*): at ſi pruna injicitur fit pulvis cauſticus coloris cærulei, ſeu ſubviridis, qui modica calcinatione albeſcit (*e*), & deliquiô ſolutus liquorem nitri fixi, ſeu Alkhaëſt Glawberi præbet, magni in extrahendâ antimonii ex minerâ, tincturâ uſus, item in eſſentia myrrhæ, & elixir proprietatis dulci (*d*). intereà omnia inter additamenta excellit ſulphur commune, quod mirè ratione doſeos &c. variat: pulvis pyrius ex retortâ tubulatâ accenſus in flammam abit nullô acidô, vel alkhali conſpicuô, præter phlegma in recipiente acidulum; (*f*) ſulphur ad partes æquales ſucceſſivè injectum, dat ſalem polycreſtum (*g*): at vigeſimâ ſui parte non ſolùm lapidem prunellæ producit (*g*): verùm etiam, ſi tribus nitri partibus unam addas vitrioli, arcanum duplicatum ad mentem Junkenii (*h*) obtinebis: aut ſi viciſſim vitrioli major, quàm nitri ſit quantitas, ſalem Emetico-diaphoreticum Mœbii (h). Plura ex horum commixtione peritus artifex parare noverit, ut ſalem antifebrilem (*i*), nitrum fixum pro conficiendâ conſervâ ſplenetica Stahlij &c. (*k*)

§. XI. Deſtillatio ex vaſis vitreis, fortibus, tertiâ ſui parte vacuis, ſine, vel cum igne adornatur. Prior fit ex cucurbitâ in ſpiritu nitri flammeô Glawberi: affundendô lentè oleum vitrioli optimum ſuper ana (*l*), vel ſub duplum (*m*) nitri puri bene ſiccati, inde effervescentiâ factâ Spiritus ruber acidiſſimus, ſemper fumans, & oleum caryophillorum ſe ſolô accendens in recipiente colligitur, remanente in fundô ſale mirabili, ex quo, & limatura martis, ſpiritûque vini, & illô ipſô Spiritu flammeô noſtri Domini Pharmacopæi ſuam eſſentiam vitrioli nitratam conficiunt; ſed quia ad proliciendum dictum Spiritum, ignem etiam fortem adhibent, retortarum facilè jacturam patiuntur (*d*).

§. XII. Poſterior, vel ex retortis tubulatis, cum accenſione perficitur in clyſſô antimonii ſulphuratô, Spiritu Carminativô de tribus &c. (*d*) vel non tubulatis in reverberio, adjectô duplô, vel triplô boli, arenæ,

---

(a) *Hoff. l.c.p. 114.* (b) *M. Nat. Curios dec. 1. an. 2. obs 196.* (c) *Hoff. l.c.p. 112.* (d) *diſpen. phar. Vien.* (e) *Boerh. l.c. p. 168.* (f) *Stahl. exp. chy. & phys. §. 82. &c.* (g) *Bœrh. l.c.p. 269.* (h) *corp. pharm. chym.* (i) *M. Hoff. l. c.p. 129.* (k) *König l.c.p. 331.* (l) *Boerh. l.c.p. 273.* (m) *Hoff. l.c.p. 129.*

næ, &c. (a) & 15 circiter horis absolvitur, exeunte pro diversô gradu, imò phlegmate acidô, *dein* spiritu quasi pingui albô, tum fumis rubentibus, camphoræ tantillô in liquorem coagulandis (b). Si ignis vehementissimus adhibeatur, & recipiens subitò, refrigeratum amoveatur, ne fumi retrocedant (c), aut nullus ampliùs in fundô sal, aut si quis relinquitur, ipsum ⦶rum impurum erat (c). At si locô boli adjecti vitriolum cum nitrô destillandum sit, aqua fortis evenit, ex cujus capite mortuô arcanum duplicatum, viâ tritâ, fit. Aqua hæc fortis in solvendis metallis, præter aurum, eximia est, quam tamen vim invertit; si aut super nitrum vulgare, aut super salem communem abstrahatur: expellitur nimirum spiritus salis, & nitrosus, cum capite mortuô in nitrum degenerans, in fundô manet: id discimus ex §. 2, nam si super nitrum bene depuratum hæc abstractio instituatur, nulla fit virtutis mutatio (d)

§. XIII. Quoniam acidus ille nitri spiritus per se rariùs, ob corrosionis vehementiam, in corpore usurpatur, ejus dulcificationem cum spiritu vini ars invenit, diversis tamen ratione quantitatis &c. phænomenis; si enim spiritui nitri igneo §. 11. octuplum alkoholis vini ad methodum Hoffmani (e), vel triplum secundùm Boerhaaveum (f) additur, fit effervescentia, atque scintillante sæpe igne dimidiam sui partem, gratissimô abrotani viridescentis odore, evaporat: si dulcificatus ita spiritus, in cochleari argenteô accensus, maculam viridiusculam relinquit, acoris nimii signum est, spiritu salis armoniaci vinosi &c. tollendi (e). Contra si proportione (ùt *1*, *vel 2 ad 3*) spiritus nitri vulgaris cum spiritu vini rectificatissimô sit dulcificandus, non ita effervescit, quin potiùs triduanâ digestione, & cohobatione eget per Alembicum (g), remanente in cucurbitâ sæpe, cum crystallis nitri (h), spiritu acidô corrosivô.

§. XIV. Hactenus industria mutationes, nunc etiam palingenesiam curiositas perficit, affusione spiritûs nitri simplicis, vel aquæ fortis ad punctum usque saturationis super salem quendam alkhalinum, phlegmate solutum, (i), seu volatilis sit, ut spiritus, vel sal volatilis ammoniacus, seu fixus, ùt liquor ⦶ri fixi, cineres clavellati, sal tartari &c. utrobique crystalli ferè inodoræ (k), omni experimentô nitrosæ oriuntur (l): illæ tamen præ his tenuiores sunt, ex speciali, & violentâ quidem, sed ad quam termoscopium subsidet, effervescentiâ (m) pro-

(a) *Wilisius tract. de ferm. c. 10.* (b) *Junken. chym. exper. p. 192.* (c) *idem Corp. Pharm. pag. 940. ex Zwelf. & Lemeri.* (d) *Hoff. l. c. p. 114.* (e) *ibid. p. 128.* (f) *l c. p. 274.* (g) *Dis. pharm. Vien.* (h) *Junk. ibidem p. 942. ex Hoff.* (i) *Boyle tr. de ⦶rô, §. 30.* (k) *Boerh. inst. chem. tom. 1. dogmate 3. pag. 369.* (l) *Hoff. l. c. p. 132.* (m) *Boerh. ibid. pag. 362.*

prognatæ, ſpiritu vini ſolubiles, &c, ſi igne in cucurbitâ urgentur, ſuper alembicum avolant (*a*). Regenerationi affinis eſt Draco fortificatus Schræderi (*b*), ſeu nitrum nitratum Junkenii (*c*), dum cryſtallis nitri tam diu ſpiritus nitri fortiſſimus affunditur, donec rurſus per abſtractionem ita acidus, ac affuſus eſt, prodeat: ſi eodem modô cum ſale prunellæ, & acetô operatus fueris, terram foliatam nitri obtinebis (*d*).

CAPUT SECUNDUM.

Proponit Hiſtoriam Medicam Nitri.

§. XV.

PHyſiologia, & praxis clinica multùm circa nitrum occupantur: illa non modò commixtiones cum fluidis animalium extra corpus deſumptis, verùm etiam injectiones in viventia inſtituit, atque ut â ſanguine ordiamur: ſi recenter è venâ hominis emiſſo, ſolutio cryſtallorum nitri miſceatur, color minii paulò poſt ſine ulla fermentatione exſurgit, ſubſtantia laxè cohæret, & quaſi cum grumis diffluit (*e*). Si ſanguini canino ſpiritus nitri acidus infunditur, confeſtim è coccineô partim in nigrum, partim in album mutatur, & ita fortiter coagulatur, ut aſſatus ferè eſſe crederetur, ſerô exiſtente modicô, mucid-aquosô (*f*). Cum nitri dulci ſpiritu moderatam ferè aquiſivit conſiſtentiam, & colorem vix rubriorem naturali, at ſerò ſanguinolentô purpureô copiosè alluebatur. Liquor nitri fixi veſperi infuſus colorem valde exaltavit: aſt altero die ferè non differebat ab eo, quem ſpiritus nitri dulcis effecit.

§. XVI. Cryſtalli nitri reddunt ſerum fluidum ut ſal ammoniacus. Spiritus acidus unô momentô coagulat, & ſi huic coagulo liquor nitri fixi addatur, facta efferveſcentia nitrum regenerat (*g*). Spiritus nitri dulcis ſerum caninum in tres regiones dividit, in ſuperiori pellucidum, non nihil rubeſcens: in mediâ chyloſo-pallidum, & in fundô ſanguis deponebatur.

§ XVII. In lacte muliebri â cryſtallis floſcitò in ſuperficie apparuit, æſtivô tempore die quartâ contraxit acorem. A ſpiritu nitri dulci in-

---

(a) *Hoff. l. c. p. 132.* (b) *i. c. p. 474.* (c) *Chy. exp. p. 207.* (d) *Pharm. Batean. pag. 70.* (e) *Hoffmanus, L.* (f) *Bagl. Diſſert. 4. pag. 463 in ſang. vitul.* (g) *Boerh. l. c. p. 260.*

incorruptum diu perstitit. Vaccinum ab acidô spiritu intra tres horas coagulabatur in caseum album: hinc inde flaventem, & inferiùs rubentem. Liquor nitri fixi induxit sapotem pinguem, grumis hinc inde natantibus, & intra septimanam pessimè oluit.

§. XVIII. Saliva â spiritu nitri dulci, liquore nitri fixi, & crystallis citò claruit, & super natantibus bullis, depositísque ad fundum floccis chylosis vix duodecimâ die fætere cæpit, cum econtra sibi relicta intra triduum fætorem sparserat ingentem, â spiritu acidô in offam albo-flavescentem coagulabatur.

§. XIX. A crystallis, & liquore nitri fixi bilis vitulina naturaliter fusca nil mutabatur, & diutissimè incorrupta perstitit. Spiritus acidus vitellinô, & viridi pictam colore bilem, ingratô cum odore coagulavit: quæ agitatô fortiter vitrô posterâ die colorem instar straminis induit. Spiritus nitri dulcis tincturam viridescentem, depositâ ad fundum crassiore materiâ extraxit.

§. XX. In Urinâ vinopotæ naturaliter citrinâ, & sine sedimentô, paulò post injectos crystallos enæorema instar nubis albæ conspectum est, post 5. horas hypostasis similis: alterâ die vitrum mucô albô infecit, & ita per 8. dies incorrupta permansit (a). Cum spiritu nitri acidô nulla fermentatio, odor ingratus, & color in pellucido-rubrum mutatus. Cum liquore nitri fixi instantanea materiæ multæ, & albæ ad fundum præcipitatio. Cum spiritu nitri dulci gratè olebat, diutissimè immutata, odore spiritûs prædominante.

§. XXI. Excrementa alvi aquâ tepidâ soluta cum nullô ex dictis valdè sensibilem mutationem subiêre. A spiritu acidô color lateritius, â dulci albidus, & à liquore nitri fixi fuscus post aliquot dies excitabatur.

§. XXII. Malpigius (b) nitrum solutum in canem injecit, & nullam, præter urinæ copiam, actionum &c. in eo mutationem observavit. Ego repetitas in jugularem, spiritûs nitri dulcis, & liquoris nitri fixi ana ℥ß injectiones, divisim institui; â prima in cane grandi paulò post respiratio anhelosa per vices tediit, & sanguis 5. horas post injectionem extractus, dum compararetur cum eo, quem antea excepi, rubrior, consistentiâ tenuior, & duplô serosior apparuit; â posteriori debilitas magna; pedibus enim mirè ab invicem distractis, titubans, vix constitit, post horam nonnihil tremuit: Vulnus tamen adeò citò claudebatur, ut cum intra quadrihorium denuo sanguinem extrahere conarer, non poteram: die sequente uterque cursitavit, comedit, bene valuit.

 §. XXIII.

(b) *L. 2. d. polyp. cordis.*

§. XXIII. Praxis medica nitrum mirè laudat, Boerhaaveus (a) hoc exceptô, in acutis, omnibus aliis remediis carere mavult. Stahliani (b) vix aliquem morbum ſine nitrô aggrediuntur. Hoffmannus (c) vix par in rerum naturâ medicamentum dari affirmat: præcipuæ tamen vires ſequentes æſtimantur. Imò linguâ judice refrigerat, ad ſitim, & calores exorbitantes adhibetur: ſic Simon Pauli (d) quendam, cujus è faucibus â ſpiritûs vini nimiô potu, quaſi flamma emicuit, ſanavit.

§ XXIV. Huic ſubordinatur 2dò vis motuum orgaſticorum, & tonicorum nimia momenta (vg. in morbis ab humorum efferveſcentiâ calido-ſpaſtica ortis) mitigans (e): Seu ea ſe manifeſtet *in Cronicis:* Maniâ (*f*), phlogoſibus hypochondriacis, hyſtericis, & ſcorbuti rancidi (*g*) item in Agripniâ (*h*), febre tertianâ biliosâ (*i*) ſatyrioſi (*k*), colicâ, ex abuſu *vg.* carminativorum calidiorum, efferatâ (*l*), doloribus pungentibus, pulſantibus &c. (*m*). Seu *in acutis:* febribus, ardentibus, hungaricis, malignis, petechiis, variolis, morbillis &c. (*n*) conjunctis cum pulſu multùm auctô, celeri, alvi duritie (*o*), Linguâ ſcabrâ, prunella (*p*), anxietatibus, deliriis, convulſione, & §. 23. N. 1. *Quin & in excretionibus auctis*, bilioſis, & ſanguineis, vomitu, colerâ, diarhæa (*q*) ex cavô hepatis inflammatô, proveniente: hæmoragiâ narium, uteri, Vulnerum (*r*): quandoque etiam *in excretis imminutis*, ut in ardore, difficultate, & retentione urinæ (*s*) ex nephritide, calculo: ariditate cutis, faucium &c. ex causô Anginâ (*t*). Hinc patet, cur authores, virtutes nitro tot, támque varias diaphoreticam, diureticam, anodinam, incraſſantem &c. adſcribant.

§. XXV. Ex his inter cæteras luculentiùs reſultat vis inſpiſſata reſolvens, ob quam in ſanguine congrumatô, typanitidis principiô (u), quar-

---

(a) *L. c. p. 266.* (b) *Junker. p. tot.* (c) *not. in Poter. l. 2. c. 7. p. 532.* (d) *Digreſ. de feb. malig. pag. 43.* (e) *Alber. d. mat. med. ſect. 3. ſſ. 39.* (f) *Calmette l. 2. c. 13. p. 160. & Riedlin. lin. med. an. 6. Hiſt. 30. menſ. Janu. probat in melancholicis.* (g) *Sorbait med. pract. tr. 1. c. 61. & Ettmüll. in prax. pag. 402.* (h) *Excel. D. D. Haberſack med. Auſtro. Vien. par. 2. p. 93.* (i) *D. D. Fack proto-med. Cæſar. in manuſcript.* (k) *Guldenklee l. 3. c. 52.* (l) *Heiſter apud Kletenberg in diſpu.* (m) *W. Wedel. theor. ſap. p. 343.* (n) *Cochlatſch ad Herman. epiſt. de uſu, & abus. nitri, & Hartenfels diſſert. de feb. malig. §. 33.* (o) *Vindicianus Archiat Valentiniani Imperatoris apud Schræderum in Quarcetano redivivo.* (p) *Sorbait. l. c. tract. 3. c. 9.* (q) *Boerh. aphor. 924. ex mat. med. §. 88. n. 5.* (r) *Schambsky p. 405. König. R. m. ſect. 3. c. 4. p. 330. &c.* (s) *Prævotius apud Guldenklee l. c.* (t) *Calmette p. 2. c. 7. p. 81. ſui Riv. reform.* (u) *Bagl. pr. med. l. 1. p. 81.*

quartanæ, & quotidianæ calidioribus paroxismis (*a*), in inflammatione hepatis (*b*), phrenitide (*c*), pleuritide biliosâ inferiorum partium (*d*), & ophtalmiâ adhibetur; ait enim Ramazinus (*e*) operarii in nitrariis non lippiunt. Aſt cum virtuti huic rigiditas cum levi ſtimulô ſit adjuncta, propter quam abſtergit, ſi in magnâ doſi, non nunquam purgat (*f*), & clyſteribus additur (*g*), obſervârunt practici cum noxâ adhiberi

§. XXVI. *Primò*, ſi excretiones ſunt nimiæ ex atoniâ, ùt diarhæâ hydropis confirmati, cæliacâ paſſione, lienteriâ &c. (*h*): quin etiamſi à bile, & ſpaſmis levioribus, & in iis morbis, ubi crises per aluum rariùs bonæ contingunt, ùt peripneumoniâ, pleuritide ſupernâ (*i*) refractâ ſolùm doſi, & apud quosdam (n. 4.) ægros vix uſuvenit. *2dò* ubi levia etiam irritantia graviùs lædunt, ſic in Phtyſi actuali, hæmophtyſi ex cacochymiâ acidâ, vel ſeroſâ in quantô peccante, catarrhis ſine febre ob tuſſim &c. damnatur (*k*) *3tiò* in atoniâ partium, pituitoſis, ſoporoſis, & debilioris à cauſâ frigidâ ventriculi hominibus, ſenibúsque; inde enim flatulentiæ (*l*), inappetentiæ (*m*), caehexiæ &c. *4tò* in febribus cum pulsûs languore, ſitis, & caloris mediocritate &c., ſeu intermittentes, ſeu continuæ, petechiales, purpureæ &c. ſint; nam retrocedentibus, aut non erumpentibus exanthematibus, aut quocunque tandem modô ruunt in deteriùs: Variolis tamen, & morbillis hoc peculiariter contingere obſervatum eſt, quod periculoſum urinæ profluvium, & ſcroti intumeſcentiam producat. (*n*)

§. XXVII. Hæc in Nitrô, aſt in præparatis ferè omnibus vis cum nitrô communis, mutata tamen ratione ignis, procedendi modi, & additorum invenitur. Cryſtalli omnibus præferuntur, & de his elogia authorum §. 23. ſunt intelligenda. Par imò in certis caſibus, multò meliùs eſt nitrum volatile regeneratum §. 14., quod Hoffmanus (*o*) cum ſpiritu vini camphoratô optimè in eryſipelate adhibet. Sal polycreſtus, lapis prunellæ, nitrum fixum §. 10. g. e. & nitratum §. 14. c. acriori ſtimulô inſtructa ſunt. Spiritus nitri albus julepos parciſſimâ doſi in ebullitionibus nimiis acidulat, externè calculos omnis generis ſolvit (*p*). Spiritus nitri dulcis ſimplex, & compoſitus (*q*) calidior cæteris eſt, ille datur in rigore longô intermittentium, in ſubjectô bilioſo cachexiâ &c. (*r*) cum refractâ doſi ſpiritûs cornu cerui

 eſt

(a) *Boerh. inſt. chy. tom. 2. pag. 169.* (b) *idem ad aph. 924. ex mat. med. l. c.* (c) *Bagl. l. c. p. 102.* (d) *DD. Fack. proto-m. in manuſcript.* (e) *de morb. opif. c. 1.* (f) *Wed. amaenit. mat. med. p. 224.* (g) *Hyp. l. d. ſalubr. diæt. c. 6. t. 1.* (h) *Wed. l. c.* (i) *Hyp. aph. 16. §. 6.* (k) *Camer. ſiſt. cautel. med. Terapeu. c. 5. p. 482.* (l) *König l. c. p. 336.* (m) *Wed. l. c. p. 281.* (n) *cochlatsch in citat. epiſt.* (o) *obſ. phy. chy. p. 133.* (p) *ſyl. prax. med. l. 1. c. 10.* (q) *diſpen. pharm. Vien.* (r) *Maur. Hoff. l. c. p. 188.*

est Bezoardicus (*a*): in Essentiâ Carminativâ wedelii flatus discutit: ingreditur liquorem Visceralem, Tincturam nephriticam, & aperitivam dulcificantem (*b*), hujus spiritus ℥j in ℔j aquæ communis dat potum in febribus (*c*) &c. Spiritus nitri fumans cum spiritu vini dilucus saltem externè censetur esse anodinus; quia Hoffmannus (*d*) ipsam aquam fortem cum spiritu vini mixtam internè tanquam tutum remedium in colicâ commendat.

§. XXVIII. Porrò observatur tempus, & modus adhibendi, dosis, & forma. Tempus vernum, & æstivum præ cæteris nitrum exigunt, sed præmissis, vel junctis universalibus, nisi specialis obstet ratio: sic Hæmorrhagias graviores haud sistit, nisi præmittatur, non nunquam repetatur venæ sectio (*e*). imminens pariter, aut præsens morbi exacerbatio nimia, ejus usum coindicat, sed circa crisis tempora non ita, ne salubres motus interturbentur (*f*), imò in quovis morbô nocere potest immoderatè relaxando, si nimis diu aut sæpè, largiori præ primis dosi exhibeatur. Hinc in fidicine Timæi fere impotentia subsequuta est (*g*). Sequens historia usum, & abusum nitri abundè confirmat: Honesta matrona Neosolii in Hungaria ex febre catarrhali decubuit, usque ad 14. diem nil, præter laxans 2dâ die, sumpsit, alvô, urinâ, & sudore existente bonô: die 17. apparet in pectore purpura, manè pulsus frequens, & debilis, datur essentia alexipharmaca cum ana mixturæ simplicis: vesperi ingruit paroxismus, datur nitrum cum antimoniô diaphoreticô, inde urina turbida, & sudor: die 18. alter medicus matutinum remedium removit, porrectô solum nitratô vespertinô, singulis trihoriis repetendô, sed ab eo fit urina clarior sine sedimentô, purpura copiosior, pulsus etiam in paroxismô debilis, & frequens, sudor largus, æstus nullus: die 21. animi deliquium, vomitus, convulsio, mors (*h*). Felicioris Eventus Exemplum legimus apud Riverium in Dominô de chapaullay (*i*).

§. XXIX. Adhibetur nitrum vel per se ratione virtutis §. 23. n. 1. vel cum aliis appropriatis *fucationi* §. 7. n. 3. *gustui*, sic felix Würz (*k*) cum sacchārô miscet ad usum §. 24. r. *Purgationi*, ut in pilulis Becherianis, morsulis purgantibus (*b*), aut cum scammoniatis, vel *Causæ morbi*: *v. g.* ad acrimoniam acidam §. 24. g. absorbentia, ut in pulvere præcipitante, antispasmodicô, speciebus de gemmis frigidis Zwelferi: (*b*) *ad biliosam* cum tamarindis prodest quoque nitrum (*l*) *vel morbo*: ideò in agripniâ emulsio refrigerans

(*a*)

(a) *Frid. Hoff. l. c. p. 129.* (b) *dispen. Pharm. Vien.* (c) *Albert. l. c.* (d) *in not. Pater. p. 448.* (e) *Kletenberg. in disp. inaug. pag. 20.* (f) *idem pag. 14.* (g) *Guldenkl. l. c.* (h) *Kochlatsh in cit. epist.* (i) *cent. 1mâ obser. 19.* (k) *chyr. 4. c. 4.* (l) *Habersak. p. 18.*

(*a*), in doloribus theriac: cælestis, in passione hypochondriacâ, & hystericâ castoreum, & antispasmodica, in cholerâ gelatinosa, & mucilaginosa: *febribus intermitentibus* salia alkhalia, & terrea, *continuis* diaphoretica, *malignis* camphora ad gr. i vel ij, ut in pulvere alexipharmacô (*b*) ad ℈j sumptô. In hectica decoctum avenæ, aut cremor lactis cum rore majali (*c*), in phrenitide diaphoreticum Stybium, nitrum stybiatum ambo ad grana decem, dictis sex grana jugentur Cinnabaris, nec non ad binum camphora granum (*d*). In obstructionibus conserva splenetica Stahlii descripta in König (*e*) vel huic similis confectio spagyrica (*b*).

§. XXX. Dosis nitri longè major est, quàm cujusvis ex eo igne fort parati (*f*). Variat tamen ratione temperamenti cholerici, ætatis juvenilis &c. Hìc duplex consideratur refracta à granô i ad ℈ß, & plena ad ʒj. illâ, existente aliâ basi, efferatos motus ad æquilibrium deducit, dum læsio à stimulô, vel vi refrigerante &c. metuitur in diarrhæâ, febre continuâ &c. Sine hac vix efficax refrigerium §. 23. n. 1., & §. 25. f. assequimur (*g*). Quin imò pro varia dosi alia quandoque est nitratorum vis: sal polycrestus ad ʒij jejunô stomachô sumptus, vomitum levem, ad ʒj aluum, ad ʒ.S. sudores, vel urinam indubitatô in tertianis remediô ciet (*h*).

§. XXXI. Variâ formâ corpori nostro applicatur: *Primò*, pulveris, quam omnibus præfert Cochlatsch (*i*) seu in ex, seu internum usum: *v. g.* in Anginâ, quantùm cuspis cultri capit, super linguam solvitur (*k*), in sacculô ad hemicraniam applicatur (*l*). *Secundò* liquoris *v. g.* in gargarismis, epithematis §. 27. o., ad ambusta &c. clysteribus cum sale prunellæ: Schröderus (*m*) in mensura aquæ solvit ℈iv nitri, Hartmanus (*n*) autem uncias duas: & propinat mane, & vesperi ad uncias iv in febribus: tu, quantùm indicabitur, facies. *3tiò* Unguenti, quam paucis cognitam putat Mauritius Hoffmanus (*o*): interim credo, rem arcani tantô virô digni, non esse; nam non solùm in officinis prostat unguentum ad scabiem, & emplastrum saturninum (*b*), verùm etiam, si accuratiùs rem conficere desideras, coque nitrum fixum, cum oleis in saponem, aut nitrum regeneratum volatile spiritu vini solutum, resinis permisce, & in unguentum redige.

 CA-

(a) *Ibid.* (b) *disp. Vien.* (c) *König Hyp. Helv. pag.* 725. (d) *Habersaek. p.* 93. (e) *R. m. sect.* 3. *p.* 331. (f) *Boyl. tract. de Nitro* §. 36. (g) *Albert. l. c.* (h) *Boerh. l. c. p.* 270. (i) *L. c.* (k) *M. Hoffm. l. c. p.* 189. (l) *Wed. theor. sapor. pag.* 343. (m) *L. c.* (n) *Prox. chym. c.* 244. §. 16. (o) *L. c. p.* 190.

CAPUT TERTIUM.

Proponit Theoriam Essentiæ Nitri.

§. XXXII.


On minores strepitus in Philosophiâ, ac in bellô nitrum movet, Hoffmannus (*a*) in eo Alkhali, acidum, & Sulphur statuit: Wedelius Wolfgangus (*b*) alkhali dividit in salinum, & terrestre, cui tanquam materiæ primæ sulphur volatile intertexitur: Albertus (*c*) terram hanc vocat calcariam: Charas (*d*) verò illum ipsum salem alkhali non fixum, sed volatilem esse contendit. Hæ sententiæ, quanquam apparenter diversæ, facilè tamen combinari possunt, si in statu divisô §. 10, 12, & 14, nitrum consideratur: præsens verò quæstio de statu compositô est, ob quam non in iis refutandis, quàm propriis stabiliendis immorabor.

§. XXXIII. Genesis §. 1, regeneratio §. 14, & detonatio §. 10, non tam actualem salis alkhalini in nitrô præsentiã arguunt, quàm metamorphosin. Nitrum nitratum conficiendi modus §. 14. c. plus probare videtur, sed & in hoc acidæ spiritûs partes defectu fermentationis non alkhali poros ingrediuntur, sed solùm corpori nitroso ob majorem in inæqualitate superficiei sortitam quietem, relictô phlegmate adhærescunt; & ideo hoc nitrum multò acriorem habet saporem. Achilles adversariorum desumitur ex præparatione spiritûs nitri fumantis §. 11: Verùm si nitrum propter alkhali cum oleô vitrioli effervescit, cur in formâ tantùm siccà, & non cum muriâ nitri (*e*)? & cur non potiús arcanum duplicatum, nitrum antimoniatum, tanquam magis alkhalina, quæ tamen intacta relinquuntur (*f*). Adde quod cum levioribus acidis: ùt succò citri &c. non effervescat; quis in corpore nostrô nitrum siccum, & oleum vitrioli hariolabitur. Imò secundum omnem ignis rigorem alkhalizatô nitrô §. 10. e. &c. hoc peculiariter præ cæteris alkhalinis contingit, quod cum oleo vitrioli vehementer ebulliat odore gravi instar aquæ fortis, cujus tamen odoris ne vestigium est, si idem oleum vitrioli oleo tartari per deliquium, vel cineribus clavellatis affundatur (*g*).

§. XXXIV. Spiritum è Nitrô genitum â cæteris mineralium non modò differre structurâ (nam mercurius cum eo in præcipitatum rubrum

---

(a) *Obs. phy. chy. p. 106.* (b) *l. c.* (c) *l. c.* (d) *Pharm. Reg. pag. 226.* (e) *Boerh. l. c. p. 265.* (f) *Hoffm. l. c. p. 152.* (g) *idem pag. 242.*

brum abit, in citrinum cum ſpiritu ſulphuris &c. (a): verùm etiam multò ſubtiliorem eſſe §. 12, docet partim metallorum ſolutio, partim nitrum regeneratum volatile §. 14. i: ſi enim contra ſal volatilis armoniacus cum oleô, vel ſpiritu vitrioli miſcetur, inde productus ſal, nec ſpiritu vini ſolvitur, nec ad ignem aſcendit alembicum, ſed acidô, in fundô relictô avolat (b). Quod ſi verò etiam nitrum quisquam acidum eſſe dixerit, malè profectò arguit; ſolvitur enim tranquillè cum Alkhalinis (c) & depuratur §. 2. Neque obſtat recipere (d) ▽am ſimplicem cum nitri, ſalis communis ana ℥iv aluminis ℥ij, & in ea auri foliati ʒij ſolvere, ac cum oleô tartari per deliquium præcipitare in crocum; nam ſæpe fallit regula Chemicorum: *quæ præcipitantur per alkhalina, ſoluuntur per acida*: ſic argentum, aquâ forti ſolutum, præcipitatur oleô vitrioli (e) &c. Verbô ſolutio fit, dum menſtruum ita cum aliquô Corpore unitur, ut illud in motum ſuo fluori proportionatum deducat, contra præcipitatio.

§. XXXV. Eſt itaque Nitrum ſui generis Sal in ordine ad corpus humanum, & in ſe, nec acidus, nec alkhalinus, nihilominus, pro diversô tractandi modô, potens tranſire vel totus in phlegma, & ſpiritum acidum §. 12, vel ferè totus in Alkhali §. 9 & 10, vel partim in phlegma, & acidum, partim in alkhali. Hoc acidum, & alkhali nil aliud ſunt; quàm moleculæ in ſubſtantiâ nitroſæ, igne exteriùs immutatæ, vel in minima diſcerptæ; neque novum eſt, ſalia in ſubſtantiâ immutata, ita comminui, ut ſub vaporum formâ appareant: Hoffmannus (f) refert ſe fumos ex affuſione olei vitrioli ſuper ſpiritum ſalis fumoſo-concentratum elevatos in recipiente per ſeptimanas aliquot reſervâſſe, & in vitrô inveniſſe pulverem lævem, candidum, ſapore ſalis ammoniaci, ex quo, & oleô vitrioli ipſe ſpiritus fumoſus erat priùs compoſitus.

§. XXXVI. Nitroſum hoc ſui generis Corpus ex pluribus pellucidis, & oblongis polygonis conflatum eſſe cryſtallorum figura §. 3. teſtatur, in eorum ſuperficie, ſapor pertenuis planitiem in ordine ad papillas nerveas linguæ, tendentia ad amaritiem læviſſimas quasdam inæqualitates (g), eásque acuminatas acrimonia finalis patefacit.

§. XXXVII. Magnitudo horum polygonorum noſcitur ex §. 12, l, 35 f, & quod ollam n. 7. §. 4. pertranſeant. Pori in nitrô, ſunt, duplices alii gravitati ſpecificæ §. 4, & pelluciditati determinandæ idonei (h) alii verò ad ipſas fors polygonorum §. 36. ſibi invicem uni-

(a) *König l. c. 33.* (b) *Hoff. l. c. pag. 132.* (c) *Boerh. l. c.* (d) *Taken. Hyp. Chym. p. 3. c. 22.* (e) *Boerh. l. c. dog. 3tiô pag. 359. n. 3.* (f) *l. c. p. 153.*

unitorum superficies cavernularum instar positi. His in generatione §. 1. & crystallisatione §. 2. copiosæ partes æquosæ §. 10. f., & 12. n. 1. includuntur. Aqua hæc cum impura sit, aëre (*a*), & vaporibus variis plena, permovit quosdam authorum §. 33. ut etiam sulphur &c. in nitrô crederent, & sanè ista doctrina, dum paucissimam solùm sulphuris quantitatem statuit, dictis nostris §. 1. & 8. correspondet: non tamen is sum, qui spiritûs fumantis §. 11., aut vitri veneti cum nitrô calcinati rubros colores (b) ab hoc sulphure deducerem, enervatâ jam dudum à Boylæô (*c*) ficulneâ hac hypothesi.

§. XXXVIII. Corpuscula nitrosa sibi uniuntur, si extra directionis lineas in superficiebus parallelis §. 3. a. ob vim sub contactu majorem quiescant gynglimô, artrodiâ &c. §. 36. g. firmentur. Contrà, si menstruum accedat, cujus partes in nitrum momentô cohæsionis vim exsuperante agunt, solvitur §. 5. Hinc patet, cur aqua calida citiùs nitrum solvat? frigida crystallisct, crystalli constanter eandem figuram assequantur §. 3.? cur ignis liquefaciat, additamentum §. 12. a. ad destillationem requiratur? sed notare oportet, illam cohærendi vim non per totum nitrum æqualiter diffusam esse, inde diversi ignis gradus §. 12., & additiorem cunei, qui si quantitatem nitri multùm exsuperant, ut in pulvere pyreô, totam fere polygonorum substantiam destruunt §. 10. f.

§. XXXIX. Elaterem in nitrô cognoscimus *Primò* ex aëre inclusô §. 37. a. *2dò* raritate §. 11. *3tiò* fragilitate, ob quam ut plurimùm, dum manu comprimitur cum stridore dissilit (*d*), & *4tò* cumprimis detonatione §. 10., cujus causam, quamvis aquam inclusam §. 37. a. suadeant dicta §. 9. eam tamen non solam esse, ut magno placuit Stahlio (*e*), sed etiam elasticam laterum resistentiam, sulphurei cunei §. 10 adminiculô, diruendam, vel ex ipsius Stahlii rationibus conjicimus; nam quid aliàs impediret, quò minùs nitrum in igne fluens §. 5. ob aquam rarefactam, tonat? cur carbone &c. opus? cur sulphure cum igne contritô ab admotâ prunâ languida solùm flamma, nisi actualiter in tigillô fluat?

CA-

(b) *Balduinus l. c.* (c) *tract. de coloribus.* (d) *Kirch. de mund. subt. l. 6 §. 2. c. 3.* (e) *Exp. chym. & phys.* §. *82. & 83. &c.*

CAPUT QUARTUM.

Proponit Theoreticè, modum agendi in corpore humano.

§. XL.

NAturæ ſimplicitas, & menſura thermoſcopii inter calorem, frigúſque externum, & corporibus viventibus inſitum non aliam differentiam invenit, quàm graduum, ideò Boerhaaveus (*a*) primum gradum ignis ſtatuit eſſe animalis ſani, ſecundum febricitantis, tertium aquæ bullitioni proximæ &c. qui ergò cauſam caloris externi cognoſcit, etiam de interni causâ certus eſt. Illa verò parallelismus radiorum eſt, à ſole, vel attritu in activitatis ſphærâ: deinde radiorum abſorptorum retentio, & tandem collectio ad certum focum: (*a*) cum igitur in corde animalis attritus ſit maximus, ibi calor accenditur, & pro ratione diſtantiæ ita augetur, vel minuitur, ut non immeritò rectangulo compoſito ex quantitate ſyſtolis, in viciniam cordis (*b*) comparari poſſit: dirigitur per ſeries, ſeu radios non lucentes, qui vitrô concavô etiam noctu faciei applicatô, ut in eam focus recidat, ad ſenſum colligi poſſunt (*a*). quid? ſi ejusmodi collectiones in corpore? an non inflammationum cauſa exiſtere poſſint?

§. XLI. Oppoſitum eſt in frigore, unde, ſi invenero, quod nitrum attritum in corpore minuat, radios abſorptos non retineat, ſed potiùs dividendo divergat, refrigerans virtus pateſcet. Atque ut à *primô* ordiar, quæ elaterem fluidorum, & maximè ſolidorum in noſtrô corpore ſuperant, cæteris paribus attritum minuunt; ſuperant verò, quæ minùs cedunt, eò minùs cedunt, quò ſolidiora ſunt: igitur cum nitri partes etiam metalla ſoliditate vincant §. 34. d. nemo facilè concipiet ſolida vaſculoſa præſertim capillaria tenuiſſimis inſtructa tunicis, in quæ nitrum ob partium ſubtilitatem §. 37. ſe facilè intrudit, tantâ vi pollere, ut nitro reſiſtere auſint.

§. XLII. Corpora, quò magis ad cryſtallinam naturam accedunt, eò pauciores radios abſorbent, ſed vel transmittunt, vel reflectunt, ut ſpecula cauſtica ex ſtramine, lignô, glacie facta &c. teſtantur: aſt quæ coloris

 valde

(a) *Inſt. chy. tom. 1. c. 7. tit. 1.* (b) *Pitcarnius in element. medic.*

valde opaci, nec pollita sunt, plures retinent, patet exemplis: panni nigri quadruplô citiùs siccantur, & calent ad thermoscopium, quam albi, item super terram nigram, in qua cespites effodiuntur, ambulantibus, plantæ pedum exuri videntur, cum econtrà qui *in de Duinen* super arenas peregrinantur, non tantùm pedibus, quantùm facie calescant. (*a*) Ergo quia nitrum instar crystalli lucet, quod gratissimô spectaculô cernitur, si §. 6. e. resolvatur, quis in eo radios absorptos delitescere statuet?

§. XLIII. Tertia pars duo membra in se continet, *imò* radios per nitrum dividi: quod enim ex naturâ suâ facilè divisibile, incidit in locum partim porosum, partim solidum, si nihil abstat, illud quod in priorem incidit, determinationem motûs prosequitur, secùs posterius: sed radios esse divisibiles, præter opticam Newtonii, & experimenta Maitre Jan (*b*) in aquâ, demonstrat figura radii per foramen chartæ in cubiculam tenebricosum immissi, pyramidalis enim est, cujus apex in foramine, seu causâ lucente, basis in peripheriâ sphæræ. Itaque cum nitrum sit valdè porosum ex §. 37. h. & radii illud partim pertranseant, partim reflectantur, de illorum divisione non ambigo. *2dò* radii per nitrum divergunt; nam duæ figuræ sunt, quæ convergentes efficiunt, concava in focum anteriùs, & convexa: seu sphærica posteriùs: reliquæ si planæ sunt, parallelos, si irregulares, polyëdræ &c. ferè divergentes, ut in speculis multangulis, & prismate crystallinô pro formandâ artificiali iride. Cùm igitur figura nitri sit prismatica §. 3., 36., & prisma constet ex tribus pyramidibus, sphæra verò infinitis (*c*): ergo quantùm infinitum differt à ternariô, tantùm radiorum convergentia in spærâ ab eâ, quæ fit in nitrô, atqui talis differentia est ipsa divergentia: ergo.

§. XLIV. Paradoxa quidem est dioptrica hæc frigoris animalis explicatio: verùm, quia quantùm ad radios lucentes in ordine ad visum, & colores à medicis recepta est, cur pari jure ad frigus, & calorem non traducatur, non video; nam præterquam, quod easdem proprietates §. 40.a. & causas (exceptâ solâ superficierum modificatione) habeant, sæpenumerò etiam calorem sensibilem iidem radii, qui lucem producunt. Sed dices, quis specula ustoria, sibi in animali finget? neque ego: sed ea solummodò ad demonstrationem assumpsi, hoc tamen facilè quivis persuasum habebit, quod quemadmodum nubes diversæ, diversimodè soli oppositæ calorem, frigúsque varient in macrocosmô, ita flatus, halitúsque in microcosmô.

§. XLV.

(a) *Boerh. ibid.* (b) *Tract. de morb. ocul. c. 16. p. 65.* (c) *Sturm. Math. enucl. definit. 10. consect. 1. & prop. 38.*

§. XLV. Data in nitrô refrigerandi vi, noſcendum illud à liquidis viventium non intrinſecè immutari §. 15. &c. Sed reſolvi, dilui, obvolvi &c.; nam ex urinis animalium ſalitis non veſcentium, paratur nitrum (a) igitur potiùs nitrum liquida quò ad proprietates aliquas immutat ex §. 15. &c. *Imò* à putrefactione aliquô tempore præſervat; nam imminutô attritu, ſeu fermentatione corruptivâ, minùs efferatur ſalium volatilium alkhaleſcentia, & in hac conſiſtit putredo.

§. XLVI. *Secundò* Carnis, cochinellæ, ſanguinisque colorem coccineum in floridum §. 15. &c. vertit, quia radios, quos in illis refractio multa debilitat, reflexione §. 43. excitat, ſicut tenuiores prismatis triangularis partes colorem iridis rubrum, craſſiores viridem &c. pingunt. Nil tamen certi de coloribus ſtatuo ob minima ſuperficierum nobis incognita. Scire enim vellem: cur nec cum roſis rubris ſpiritus nitri punicet, nec cum infuſô ligni Braſilienſis? & cur cum illis ſpiritus vitrioli, cum hoc liquor nitri fixi? nitrum verò ipſum nil mutet?

§. XLVII. *Tertiò* humores, & lympham reſolvit, ſeu *primò* ea fervor incraſſavit; nam reducendo à ſecundô ad primùm caloris gradum §. 40. a. ſtricturíſque minutis §. 41. plus fluxilis lymphæ accit, & hæc ſalia volatilia cicurat, ob quam cauſam & ſolvere, & ſpiſſare etiam diverſô reſpectu nitrum, dici poteſt. Seu *Secundò* ſtaſis, & ſpirituum penuria §. 15. e. illa coagulauit, ſed tunc ſcorbuti potiùs frigidi inſtar, per nitrum fit reſolutio à medicô non inducenda §. 26. N. 3. quia tonô vitiatô rigor ejus priùs roridam animalis gelatinam deſtruit, quàm pituitam.

§. XLVIII. Quartò *urinam* quandoque reddit *aquoſam* nimiâ relaxatione, ut in obſtructionibus viſcerum fit, quandoque *craſſam*, ſi moderatè §. 28. h. internè adhibeatur, vel externè per præcipitationem §. 20. a. quandoque *diabeticam* §. 26. n., â tubulis renalibus ampliatis, & cutaneis per cruſtam varioloſam &c. clauſis, ſtante aliunde humorum acrimoniâ, dependentem.

§. XLIX. Ex his ſponte fluit, mancam eſſe hypotheſin, quæ ait: nitrum ratione alkhali ſanguinem reſolvere, ratione acidi refrigerare; amabò enim, cur non etiam hujus ratione coagulet, & illius calefaciat: Siquidem has duas vires non minùs duo hæc ſalia in ſe continent, ac illas. Errant pariter, qui nitri vim carminativam ab exploſione petunt: quis enim detonationis ignem, aut pulverem pyrium accenſum in corpore dicet? Si quæris cur alia ſalia neutra non refrigerent. Et refrigerarent ſanè, niſi aculeis elaſticitatem fibrarum nimis ſtimularent: Sic ſal communis, gemmæ, armoniacus, æquè congelant

 aquam

(a) *Boerh. inſti. Chy. tom. 2. part. 3. p. 264.*

aquam ob vim §. 42. & 43.: aſt in corpore humano ſitim, calores &c. ingenti ſuarum ſuperficierum hiſpiditate producunt, quæ in nitrô minor conſpicitur §. 36. (*g*). Inde eluceſcit veritas hujus propoſitionis, quò ſenſibiliores nitrum in præparationibus Cap. I. recipit aculeos, eò minùs refrigerat, niſi per addita *vg.* vehicula &c. infringatur, aut in fluidis ſtatim primarum viarum, vim ſuam exſeruerit.

§. L. Pro Coronide quinque adhuc ſolvendæ ſunt quæſtiones. Ima, cur Itali non tam in laudes nitri debacchantur, quam quidam ſcptentrionales hujus ævi medici. Verùm quanquàm Italiæ frigus, & Boruſſiæ cereviſia contrarium potiùs ſuadeant; quia tamen ibi ſunt fibræ nimis ſenſiles, & exſuccæ, non tam per accidens â nitro §. 47. n. 1., quàm per ſe vegetabilium ſuccis nitroſis vg. ſonchi, endiviæ &c. humectari poſtulant: ideo Kircherus (*a*), fæminas in Ægyptô Nili potu (*NB. non nitri vulgaris uſu*) ex ſterilibus fæcundas fieri, memorat. Septentrionales contra populi obtuſiore â phlegmate ſenſu, rigiditatem nitri faciliùs, ſi neceſſe §. 24., 25, &c. ſufferunt, & aquoſitate rariùs egent. Sed & in his ingens eſt differentia: Saxones, quia potu ardentium ſpirituum, & uſu calidiorum medicamentorum excellunt, ſæpiùs nitrum propinant: Auſtriaci verò Viennenſes cives, qui non modò vinorum acidorum, ciborúmque farinaceorum uſu, & peritiâ alias fere gentes ſuperant, verùm etiam medicationes â volatilibus ob inflammationes ſæpenumerò inde emergentes, rariùs inchoant, non tantum â nitrô, quantum ab arcanô duplicatô, nitrô antimoniatô &c. pro re natâ auxilium præſtolantur.

§. LI. Quæres 2dò, an nitrum mercurialibus, cinnabarinísque tutò miſceatur ℞.: Si alvi apertio &c. deſideratur, exigua nitri doſis, & cum abſorbentibus commixta, in ſubjectô minùs ſalibus refertô conceditur, præſertim cum cinnabarinis, ùt §. 29. d., & in pulvere antispasmodicô (*b*). Sed in hoc ob ſalium ingredientium copiam, cave, doſi ſcrupulum excedas. Si verò nil horum ſit, negatur; nam nitrum agit in metalla (quia cum hoc ſolvuntur §. 34. d.) & licet ſine igne mercurium non in ſublimatum vertat, acriorem ſaltem reddit.

§. LII. Quæritur 3tiò, an conferat infantibus ℞. Laxitas ætatis, ſi dolorem colicum &c excipis (*c*), contraindicat; aſt non video, quid arcano duplicato ſaltem refractâ doſi ſumpto, in iis obſtet, quos febris cum tumore ventris, & inferiorum partium marcore ex pulmentorum apud

---

(a) *L. c. cap. 1.* (b) *Diſp. Vien.* (c) *Junk. monit. med. de morb. infant. c. 13.*

apud nos, prô quantô damnô! abusu infestat. Vulgaris curandi methodus juxta Harris Anglum (a) mera testacea; specifica, antepileptica adhibet, ast quanquàm fors illi ob scorbuticam patriæ, & hæreditariam indolem res sat bene cessit, vespilones tamen hìc testes volo, quot terra condidit sacra, quorum casus simillimos illa ipsa testacea, sed arcanô duplicatô, & martialibus maritata persanârunt, nuper infantem vidi, quem mater merô specificô cephalicô Michaëlis, & testaceis saginavit, inde verò calor, ventris tumor & adstrictio major: tertiâ die medicus vocatus, vomitum excitavit, â quo quinquies infans stomachum elutriavit, & bis alvum, hujus ultima dejectio specifici cephalici colorem accuratissimè repræsentavit, & brevì personatus est.

§. LIII. Quæritur 4tò: an verum sit illud modernorum, quod frigus hybernum ratione nitri sui poros claudat, humores coagulet, & mordax sit? ℞. pori clauduntur pressis capillaribus â pondere atmosphæræ vincente resistentiam continentium & contentorum; cum igitur nitrum inducat frigus §. 42. & 43., & a frigore aër fiat densior, â densitate autem gravitas, seu pondus atmosphæræ augeatur; necesse est in fluidis quietem induci, ex qua seri a sanguinis chylosa portione secessio, & hujus coagulatio nascitur. Quod verò mordacem frigus in genas &c. vim exserat, non tam nitro, quàm quibusvis rigidis præsertim acuminatis, in aëre liberè volitantibus, & â Boreâ fortiùs circa papillas cutaneas agitatis, ínque eas se infigentibus particulis immediatè debetur, quasi in remedium prioris mali â creatore institutum; nam inde fibræ fortiùs oscillant, sanguinem in coagulum pronum agitant, & cutem fuscô rubore tingunt. At si nimiùm stimulatur elater, fortiórque sit in coagulum propensio, tandem pars perfrigerata fibris, aut ex integrô atonis in Sphacelum fatiscit, aut circa extremitatem occlusis, in perniones degenerat, quorum curationem per aquam semitepidam, & nivem in hypocaustô tanquam gradualem de uno in aliud extremum transitum (b) inchoare oportet.

§. LIV. Quæritur ultimò, cur tam amplum Nitro sit imperium, ut ubique terrarum, & in omnibus regnis reperiatur? ℞. ad rerum generationes motus proportionatus, qui unionem elementorum non destruit, sed conservat, requiritur: cum verò ignis ingenti copiâ terram lambat, & si sibi relinquitur, omnia destruit, necessum erat aliquô corpore, ut jam olim Cartesius de suo secundô elementô asserit, quod igneam vim contemperaret ad conservandam in rerum naturâ fæcundi-

 tatem:

(a) *Allen, c. 15, art. 12.* (b) *Hyp. Sect. 2. Aph. 51.*

tatem: Tale corpus est nitrum per §. 42. & 43. &c. ideo tam vasta ejus quantitas ad Nilum in Ægyptô & regionibus Peruvianis &c. invenitur: neque ullô ex triplici naturæ regnô se circumscribi sinit, ambigit inter omnia Hermophrodita potens, quem portat ventus in ventre suo.

(a) *Hermes in Tabul. Smarag.*

F I N I S.



EXAMEN TRIUM, AUSTRIÆ INFERIORIS BALNEORUM Altenburgensis, Byrenwartensis, & Danubiensis EORUM USUS, ET ABUSUS.

Das ist: Untersuchung dreyer Nieder-Oesterreichischen Bädern Zu Deutsch-Altenburg / Byrenwarth / und Donau-Baads / Deren Gebrauch / und Mißbrauch.

Quod

TRINA FAVENTE UNITATE

Decreto, Authoritate, & Consensu Perillustrium, Magnificorum, Spectabilium, Prænobilium, Excellentissimorum, atque Clarissimorum Virorum, &c. Perillustris, Magnifici, ac Consultissimi Domini Universitatis Rectoris, Prænobilis, Spectabilis, Clarissimi, ac Excellentissimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæs. Regiæque Cathol. Majest. Dominorum, Dominorum Consiliariorum, & Archiatrorum, Professorum &c. Adeóque totius Amplissimi

D. D. MEDICORUM COLLEGII,

IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA

UNIVERSITATE VIENNENSI,

PRO CONSEQUENDO DOCTORATÛS GRADU

IN

Inauguralem Disputationem suscepit,

Et publicæ Ventilationi submittit

JOANNES WENCESLAUS IGNATIUS LEHR,

Silesius Carnoviensis. AA. LL. & Philosophiæ Magister, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, approbatus, nec non pro suprema Ejusdem Laurea Candidatus, Alumnus Mannagettanus

IN PUBLICO D. D. MEDICORUM COLLEGIO

Horis post meridiem consuetis, *Die* 22. *Mense Septembris*, *Anno M. DCC. XXXII.*

VIENNÆ, typis Mariæ Theresiæ Voigtin Viduæ, Univerfit. Typogr.

Balnea quæ quondam pe-
tiit matrona, revicit
Frigore Laſcivos caſta Su-
ſanna viros.

HIs MoDò, qVæ noVa VIs sIt
aqVIs, ego nesCIo, VInCIt
Sæpius egelidas Cypridis ardor
anus.

VIDE §. IXC.

PROLEGOMENA.

Teutsch-Altenburg *pagus est, situs in valle octo à Vienna milliaribus Hungariam versùs, prope confinia, queis antiquitùs Romani Noricum, seu Austriam à Panoniâ, & Germaniâ, sive quadis discriminabant: vicinus ad Septentrionem Danubius aureô dives sabulô, & insularum virore amabilis præterfluit, extensâ trans alveum in ingens spatium camporum planitie: acclivis in meridiem ducit semita, ubi fertiles spectantur agri, & deleti ab Attila rudera Carnunti: Occidentalem amnis colliculum resecat, & arcis nobilitate, & topiarii elegantia, & umbrarum amænitate spectabilem: in Orientali Mons plaga ex vivo, splendentique exsurgit saxô, qui sensim auctus, sylvis, sentibus, abruptisque cautium, & viarum horret, at tonsus in principio, & humilior est, religione templi celebris, steriles sustentat agros, atrox ventorum furor, & inanis ochræ copia, nec gramen excrescere sinit: ad radicem montis vicus est* Teutsch-Altenburg *à balneo celebris, quod post primam à Turca Viennæ obsidionem multò certiùs innotuit, multus huc ægrotantium confluit numerus, multa propemodum in difficillimis morbis (quos neque selectissima remedia, aut Thermæ Badenses &c. aut, quæ in Pannonia Medicinales erumpunt scaturigines, sanare poterant)*

 cu-

curationum exempla recensentur, dum ii, quamprimùm nostris eluti sunt aquis, desiêrunt, aut saltem leniùs cruciârunt. Jam olim præstantissimos inde effectus agnovit Nobilissimus Arcis Dominus Franciscus Dörr: ideo Annô 1548. ab Inclyta Facultate Medica Viennensi (fors ut probatis balnei viribus proventus augeret) examen ejusdem petiit, & publicô ad votum obtinuit testimoniô, quod deinde Anno 1634. à sapientissimo Imperatoris Ferdinandi II. Archiatro, & Inferioris Austriæ Statuum Proto Medico Joanne Guilielmo Mannagetta Fundatore nostro, & meo ex linea materna Affini in cineres colendo, conscriptum, confirmatum, rursùsque Anno 1710. editione secundâ divulgatum est. Verùm enim verò cùm non solùm ingeniosissimus piæ memoriæ Author ipse (titulô welchen *Complexionen* / Zuständen / und Kranckheiten dieser Baad-Brunnen zuwider seyn möchte §. *I.) multa animadvertenda relinquat, sed nos etiam in reconditos naturæ penates evidentiùs, tutiúsque Neotericorum imbuti principiis penetrare possimus per præcipitationes, destillationes, thermometra, Areometra, & cætera, quorum partem Antiqui ignorârunt, partem non satìs excoluerunt: Hinc publici studiosa commodi, & de salute Patriæ sollicita Inclyta Facultas Medica Vindobonensis gratiosè mihi injunxit, ut pro Inauguralis Dissertationis materia balnei hujus & Byrenwartensis vires ac ingredientia penitiùs scrutarer: magni res laboris est, plurium annorum diligentiam, observationem, & elimatum postulat judicium, atque expensum non vulgare: parces ergo, lector benevole! si privatis Fundationis Mannagettanæ sumptibus aliquot solummodò hebdomadis materiam hanc elaborare coactus, oneri Hippocrate digno, per thesium mearum decursum succubuero.*



CA



SECTIO I.
De Balnea Altenburgensi.

CAPUT PRIMUM.
Descriptio, & Præparatio Balnei Teutsch-*Altenburgensis.*

§. I.

INgenti ædificio balneantium exſtructo commoditati, pervetuſtus formâ puteus circumſcribitur, rude ſaxum quatuor orgiarum profunditatem excavat, geminos deorſum ſuſpendit modiolos ferreis catena artubus, tantæ craſſitiei, quantæ paſſim haberi poteſt, ſingulis tamen exeditur annis neceſſariò renovanda, ſtant in margine fortes duo viri, attrahunt aquam, per proximos canales exonerant, partim in cadum, qui in medio areæ infarciendis dicatur ſoliis, partim in cacabum minorem decem, & majorem triginta circiter urnarum, quorum unius pondus 8. alterius 15. æquat centenarios, inibi coquitur & in illo intra duas, in hoc intra tres horas bullitio inchoat.

§. II.

Quamprimum ex puteo eximitur aqua, ſi in ordinario ſpectatur excipulo murinum præſefert colorem, ſi in vitro

 ferè

ferè clara pellucet, & odorem ſpargit ſimilem ei, quem ex coctis ſimul calce viva, & ſulphure apyro in fontana perſentiſcimus, ſed eundem per noctem depoſitô etiam cinereô ſedimentô perditura, nî occludatur. Per coctionem alia apparet aquæ facies; nam præterquam, quod dum fortiùs primùm in cratere ebullit, fiat nigrior, & copioſas efformet ſpumas, longiori coctione diſparentes; odorem poſtea imminuit, colorem in albido turbidum mutat, & cruſtam laminatam (quam Dominus Author des Baad-Buchs zu Teutſch-Altenburg tartarum appellat) adfundum præprimis deponit.

§. III.

Dum ſolium ſive vannum eine Baad-Wanne parant, recipiunt quatuor circiter urnas frigidæ è cadis (§. I.) & duas bullientis (§. II). Hanc dein prout diutiùs quis inſidet, aut calidiús balneat, bis, térve reaffundunt, ne nimis refrigeretur; ordinariè quoties balneatur, toties prior ex integro elutriatur aqua, & rurſus recenti impletur ſolium; ſic enim penetrantior eſt viribus nondum exhalatis.

§. IV.

Nemo hic aliter quàm in ſolio balneat, iſt nur ein Wannen-Baad: ſiquidem Dominus Vitus Franciſcus Seleskovitz, qui publicam ibi fiduciarii operam ab Illuſtriſſimo Domino Domino Joſepho L. B. de Ludwigſtorff moderno in Teutſch-Altenburg Domino, obtinet, me per literas de dato 29. Junii anni currentis certiorem fecit, quod ſuus anteceſſor Anno 1711. & 1712. balneum, cui plures perſonæ ineſſe, & circumire potuiſſent, ad ſimilitudinem illius, quod Badæ in Auſtria à Sancto Petro cognominatur, ædificârit, frigidâ impleverit, autumans fore, ut æqué facilè, ac in ſolio (§. III.) quibusdam tantummodo fervidæ urnis calefiat; verùm quia ſic aquam è puteo die antecedenti eximi neceſſum fuerat, per noctem ita refrixit, ut eidem altero mane

mane calefaciendæ ambo non sufficerent cacabi. Igitur remedium in tollenone, geminis canalibus, antlia, & lupo &c. queis puteum instruxit, quæsivit, (er hat auf Pumpen gedacht / doppelte Röhren mit zweyen Metallenen Stiefeln / und Ventillen eingericht:) & tali extractis artificio aquis voti quidem sui, at per mediam tantùm diem compos factus est; siquidem sub primum, quod sumpserat prandium, spes cecidit ferreæ arundines, & quidquid metalli inerat, immobiliter sulphure, & Nitro (ita ille putat) concreverunt, omnémque laborem, & expensas perdiderunt, abjecta in hanc usque diem omni cupidine similes imposterum ausus moliendi:

§. V.

Videtur ergo in exortu suô putealis hæc aqua calida esse; nam æstivo tempore ex fonte excerpta ad sensum, & thermoscopium 12. gradibus ascendens, calidior, id est, tepida est: at postquam aliquantum stetit, fit frigidior, descendente thermometro. Contra aqua in suo ordinario fonte, æstate semper friget, & inde desumpta per moram à fervore aëris ambientis incalescit, ut docet idem thermometrum in aqua Danubii. corroborat opinionem nostram epistola citata; nam anno 1713. Mense Januarii memoratus Dominus Seleskovitz puteum hunc continuo trium dierum, & noctium labore exhauriri jussit, ejectis nigerrimis, & limosis fæcibus, multísque centenariis lapidum, donec puram putam attigerit arenam, pede Geometricô infra orificium, per quod calidam, & sulphuratam influere venam comperit: cùm verò purgato fonte ulterior labor intermissus fuerit, accrevit aqua, & influxum occultavit; utinam sæpiùs fons iste purgaretur, fortè certiùs innotesceret, at neminem præterea invenire licuit, qui hactenus purgatum esse recordaretur, vel dicta confirmaret; nam quidam operariorum statim ab ipso hoc labore mortui esse dicuntur.

§. VI.

§. VI.

Eandem ſententiam fovit jam olim Inclyta Facultas Medica Viennenſis in relatione, und Bericht von dem Bad-Brunnen zu Teutſch-Altenburg §. 2. dum ſuadet reperiri venam calidam, & abſcindi à frigida, ut illius vires ampliores explorentur, & ſane in ſuperiori §. 5. fontis purgatione, pariter è regione calidæ venæ, frigida ſcaturigo in puteum manâſſe viſa eſſe dicitur, & an ſimilis etiam ex arenoſo ſolo proſiluerit, obſervatu erat impoſſibile; quia nunquam totaliter puteus exinaniri poterat.

§. VII.

De duratione Fontis hujus nil certi extat: nam quod ex Livio *decad. 5. L. 3. de antiquitate Carnunti* 169. annis ante Chriſtum natum à Romanis fruſtra oppugnati, & primùm imperante Auguſto à Tiberio expugnati ex Dione *L. 55.* adfertur, conjecturæ ſolùm concedit locum, non evidentiæ. Nec majorem aſſenſum meretur, quod ex Aula ibidem Romanorum Imperatorum Antonini, Septimij Severi, Diocletiani, Valentiniani, & hinc deſumptâ nominis Etymologiâ (Altenburg) ducitur argumentum: etenim certum quidem eſt Romanos balneis ad luxum usque delectatos fuiſſe. Aſt quod in ipſo hoc loco, ubi modernus reperitur puteus, quidquam moliti fuiſſent, nemo facilè evinceret, niſi laudatus §. 4. *&* 5. Vir non veteres ſolùm Canales, per quos olim forte illuc usque aſcendens aqua effluebat, inveniſſet: ſed etiam ipſum venæ calidæ ductum artificialem eſſe ex eo ſuſpicaretur; quia perticam ferream rectilineè non difficulter immiſerat, ſecus enim obſtitiſſent ſubterranei anfractus.

§. VIII.

Quantitas aquæ ſemper fere dimidium putei replet, ùt ex catenarum madore colligitur, ſeu major fiat Danubius, ſeu ſit minor, ſi unicam intra hominum memoriam exceperis

peris vicem, qua nimis auctus rivi vicini cursum occlusit, virescente multùm balneo, quod redditâ rursum præterfluenti libertate, priùs citò exhaustum, mox in pristinam claritatem restitutum confluxit, cæterùm nec à terræ motibus levioribus, nec tempestatibus, nec hyeme, nec æstate ulla in eo differentia apparet. Quibusdam tamen annis ob vehementiorem subterraneorum impetum, & quò fortiùs aqua hauritur, eò majorum esse virium existimatur, & cognoscitur partim ex colore lacteo, partim quia, dum diutiùs reponitur, & in fundum residet, flores supernatare conspiciuntur.

§. IX.

Dum ob siccitatem exiguô valde Danubius volvitur alveô, ad ejus ripas duo ostiola tepidis, & sulphureis aquis scaturientia conspiciuntur, quæ quidem ego propter auctum flumen, & ingentem in litore saxorum copiam videre non potui, forsan temporis diuturnitate sponte perforatis hisce cuniculis aqua defluit, quasi rectâ ex puteo, quem adeo nunquam amplius ad usque antiquorum canalium signa increscere sinit, quamvis adeó velox fiat affluxus, ut si exinaniretur, intra horam ad consuetam aqua pertingat magnitudinem.

§. X.

Venam calidam ex proximo Beatæ Virginis Monte ortum desumere, & natura loci in prolegomenis, & unanimis vulgi sententia confirmat, verùm quas potissimum partes permeet, difficile est assequi, multis abhinc annis centum orgiis à balneo lateraliter Danubium versus perruptis montis, petrarúmque repagulis, & ejectâ gravi, albâ, splendentíque (ùt ajunt, nam ad manus habere non poteram) minerâ per peritos rerum metallicarum fossores in originem indagatum est, sed frustra: ego trium balneo proximarum domuum fontes degustavi, & illos utpote sulphu-

 ratos

ratos ex incolarum relatione usui communi hominum non inservire cognovi, fortè in illorum viciniâ nostra excurrit vena.

CAPUT SECUNDUM

Proponit Examen Balnei.

§. XI.

UT penitiùs in balnei cognitionem pervenirem quinque mihi perscrutanda duxi, primò lapidum quoddam genus in vicinia repertum, secundò illuviem, quæ ex pute fundo excerpitur. 3tiò spumas in coctione elevatas, 4tò crustam in cacabo repertam, 5tò denique ipsas balne aquas curiosiùs investigabo. In vicini montis valle non procul à balneô magnum saxorum acervum summa vi, for lapicidarum manu, à grandioribus petris abruptam inve nies, gravitate marmorem exsuperant, diffringuntur sat fa cilè, interiùs multas habent cavernulas, queis russa, & ma nus pingens ochra continetur. Excurrunt albidæ cum fuscis venæ, quas innumerus exiguarum, albentium squa mularum, & colliculorum splendor nobilitat. Lapides h insipidi sunt: cum spiritibus acidis, & aquis stygiis fortite fermentant, dum fornace figulinâ calcinantur, splendor amisso in minimam, & albicantiorem nonnihil arenam di siliunt, cui si magnetem admoveris, sat notabiles particu las elevabit, manifestô Martis latitantis indiciô.

§. XII.

Fæces, seu illuvies illa, quam è fundo putei extrax primùm diffluxit eodem modô, ac atramentum sutoriu manus inficiens: post exsiccationem in massam abiit gleb instar friabilem, & insipidam, odor, qui priùs erat grave len

lens, minuebatur, colore nigro, quasi in cæruleum, seu dilutum vergeret, resplendentibus præcipuè dum diffringebatur, albis, raris, & minutissimis punctulis, squamulísve, ac per microscopium componi videbatur maximâ sui parte, ex albo, & minimo sabulo commixtis terreis partibus, ísque rebus, quæ in fontem inciderant, v.g. pennis gallinarum, stramine, carbonibus, foliis arborum, & cæteris.

§. XIII.

Qui salem ex his fæcibus extrahere desiderat, nihil acquiret, licèt per septimanas aliquot in aquâ maceraverit, & cætera, ùt artis est, præstiterit; nam insipidæ sunt, & cum acidis fortiter ebulliunt, neque super prunas, neque in igne figulino spumant, inflammantur, vel odorem incendunt, sed calcinantur in ruffam, albis, tenuissimísque micantem lamellis, & inodoram terram, ex qua magnes minimas quasdam particulas attrahit. Qui curiosior est, effætæ huic terræ vitriolaceos spiritus affundat, & subitò ille ipse odor sulphureus, quem in ipsis aquis nostris recenter è puteo extractis percipere licet, fortiter nares feriet: si deinde huic miscellæ notabilem quantitatem aquæ fontanæ superaddis, idem phænomenon in alteram etiam diem in vase aperto perdurat: quod si verò, sine ullius spiritus acidi accessione, illuviei calcinatæ aquam superaffuderis, balnei quoque lenissimum experieris odorem, qui rursus affusô aliquô spiritu acidô multùm intenditur.

§. XIV.

Spumam ex bulliente balneo in massam collegi valde levem, porosam, coloris quamdiu madet aliqualiter obscurioris, ex albo cærulei, at postquam exsiccatur nonnihil ex cæruleô albentis: levi digitorum pressurâ in pulverem fatiscit inodorum, insipidum, & levissimum: cui si affunditur aqua, extrusô ex poris copiosô aëre, multæ bululæ supernatant. Spuma hæc super prunas crepitat, non inflamma-

fæteant, & durante canicularium æſtu nonnihil viſcoſiores fiant, adeo, ut factis bullis, nonnunquam vitra anguſtioris colli ingredi recuſent. in guſtu levem, & nauſeoſam quandam dulcedinem, præcipuè in iis, quæ diutiùs ſteterunt, obſervabis, nullatenus verò aluminis, & ſalis Nitri ſapores percipies, pondus aquarum noſtrarum levius eſt, quàm Danubienſium, ſub eadem mole, quod confirmat Areometrum: hoc enim in aqua danubienſi tempore pluvio, & turbidulâ mergebatur ad gradum octavum: in noſtra verò ad undecimum.

§. XIX.

In aquas has dupliciter indagavi, immiſſis nimirum diverſi generis corporibus, & igne: à prioribus, vel nihil, vel odor, color, aut conſiſtentia immutabatur: nihil niſi domeſticos colores impertiit pulvis gallarum, fl. balauſt. Sulphuris, fol. quercûs, lac, ſal commune, & gemmæ. Probè autem notari cupio, ne impoſterum, qui fortè experimenta mea repetere deſiderat, fallatur, quod caſu in ſalis gemmæ fruſtulum inciderim, hoc, dum pulveriſatum, aquis noſtris permiſcerem, eas paulo poſt nigerrimo tinxit colore, forte ideo, quod de vitriolacea natura participaret: nam dum cum alio ſale gemmæ idem experimentum denuo tentarem, nulla ſubſecuta eſt aquæ immutatio.

§. XX.

Odor in vitris anguſtioribus longiori tempore perſeverat, quàm quæ latum habent orificium: ab immiſſo ſulphure apyro ab initio quidem intenditur, ſed mox evaneſcit. à ſpiritibus acidis Nitri, Salis, Sulphuris, aqua Regis, oleo, & ſpiritu vitrioli, quin etiam ab alkalinis, liquore nitri fixi, ſale abſynthii, & tartari imprimis, in alteram etiam diem conſpicuus ſatis odor conſervatur. Color verò aquarum noſtrarum, tum ab alkalinis modò dictis, cùm à ſpiritu ſalis armoniaci, lixivio ſaponariorum, & aqua cal-

calcis in lacteum permutatur, præcipitatâ deinde ad fundum materiâ albeſcente: mihi libuit præcipuè illam hypoſtaſim, quæ ab oleo tartari facta eſt, per filtrum ſeparare, erat autem pulvis fuſco albens, tenuiſſimus, naturæque alkalinæ. Qui ſyrupum violarum aquis noſtris addiderit, primùm quidem nil novi inveniet, at poſtquam diutiùs reponitur, viror ſe manifeſtabit.

§. XXI.

Denique maximam alterationem inducunt ſequentia: *Primò.* Vitriolum martis totum liquorem nigredine tingit, longiori mora, cuticulâ variegatâ gratè ſplendente, modô ordinariô tegit, vitrum flavedine inficit, & ſedimentum fuſcum, inſipidum, nec ab acidis, nec alkalinis fermentans, nec ſuper prunam inflammabile præcipitat. *Secundò.* Saccharum Saturni eandem produxit nigredinem, & ſedimentum priori nigrius, ſuper carbones citò evaneſcens, cúmque acidis fervens: neque dici poteſt fervorem hunc, & velocem in igne diſſipationem à ſaccharo ſaturni producii ſiquidem hoc ipſum ſuper vivos carbones diutiùs durat, & cum acidis non ebullit. *Tertiò.* à butyro antimonii primùm aqua recens flavo - turbida, cum odore tetrico mercurium vitæ præcipitat, decantata deinde poſt temporis intervallum novum præcipitatum coloris flavi, & naturæ inter acida, & alkalina mediæ ſuppeditat. *Quartò.* Mercurius ſublimatus aquæ noſtræ commixtus albo - pellucido - flaventem effecit, & id, quod ſubſidet, naturæ quidem à priori non alienæ, niſi quod ſuper prunas cum fumo inflammetur.

§. XXII.

Per ignem primò deſtillationem, & deinde evaporationem inſtitui: illam in arena igne leniſſimo cum libris duodecim balnei aggreſſus ſum: illud, quod omnium primò tranſcendit Alembicum, & drachmas vix duas æquavit, mutato

reci-

recipiente speciali vitro asservavi: deinde destillationem rursus prosecutus sum: ast ubique insipidum prodiit phlegma, illud quidem turbidulum cum odore quasi empyreumatico-terreô, sed quod neutiquam ampliùs à liquore nitri fixi lactesceret. In fundo reperiebantur drachmæ duæ residui, cujus color fuscus splendentibus hinc inde albis, minimis, & tenuissimis lamellis, odor præter empyreuma nullus, sapor sali communi, ut ovum simile ovo, erat: si acidum quendam spiritum superaffundis, fortiter ebullit, ab oleo vitrioli nigro valde fumat, & super carbones, nec spumat, nec inflammatur, sed leniter salit: quodsi per repetitas solutiones, & filtrationes salem inde extrahere contendas, semper aliquid terræ primùm quidem fuscæ, & ab acidis fermentantis, deinde verò successivè albioris, & cinereæ in filtro remanet. Crystallos autem elicere non potui, quamvis summa cura, & lege artis etiam alumine ad mentem Listeri fundum vasis fricarem, liquorem ad minimam quantitatem aquæ evaporarem, adeóque saturatum redderem, ut vix filtrum pertransiret, & linguam potenter feriret. Nihilominus hoc procedendi modo sal semper magis, magísque depurabatur, & super prunam crepitare cæpit.

§. XXIII.

In evaporatione specialiter observatur mutatio coloris aquæ: dum enim forti igne, diúque in eodem terreo vitreato trypode (donec aliquot mensuræ in auras abierint novam semper aquam superaffundendo) continuaretur, non modò turbulenta evasit: sed etiam dein prorsus virescebat, & in fine rursus in pallentem degeneravit colorem, interea verò per poros vasis aqua ipsa foras penetravit, & multæ salsæ bululæ effloruerunt. Residuum cum eo, quod à destillatione remansit, fere convenit, circa quod observandum, quod, si immediato, & fortissimo igne urgeatur, albe-

albescat, & micantes rariores sunt particulæ, at si levior, & mediatus solùm ignis sit, copiosiùs scintillat, & russum est.

CAPUT TERTIUM.

Proponit Principia Agendi, & Utendi modum.

§. XXIV.

QUi vulgari niti velit opinione aurum, argentum, martem, alumen, nitrum & sulphur nostris balneis inexistere percipiet: alii verò superioris ævi scriptores posteriora tantùm tria principia adorant, vide Ludwigstorffisches Baad-Buch / titulô relation und Bericht von den Baad-Brunn zu Teutsch-Altenburg & præcipuè illo, qui inscribitur: Ferners Gutachten / was dieser Baad-Brunnen für Mineralien in sich führet / und worbey solche zu erkennen: dicere tamen ausim, quod hactenus nemo ex hoc fonte nec alumen, nec nitrum confecerit, neque illius decem, & hujus octo partes inesse, ùt scriptum est, ad oculum demonstrabit: certò sive ad chymiam appelles, sive tartarum indages, nihil invenies, quod sententiam confirmat.

§. XXV.

Et ut ab auro initium ducam ejus pathognomonicus character est, ut in mercurio subsideat, & solutum ab aqua Regis cum oleo tartari in aurum fulminans præcipitetur: si in nostris aquis lateret, illud vel in scoriis Capite II. §. XV. vel in fæcibus §. XII. Capite II. inveniretur, nam illi, qui in danubio aurum lavant, non ex aqua, sed ex arena illud eliciunt; nempe ob gravitatem suam aquis innatare nequit; igitur ego scorias, & fæces tenuissimè pulverisatas, mercurio fluenti in vitro superstravi: verùm nec mica in fundum decidit, non autem fidum satis hoc experimentum est; si-

quidem minutiæ, ſiquæ ineſſent, ipſæ mercurio innatarent, quemadmodum aureus ipſe injectus, ob laminatam figuram: deinde facilè etiam amalgamarentur; quare partem ſolutionis cum aqua Regis (§. *XVI. Capite II.*) factæ, inſtillatô oleô tartari per deliquium, ad modum *Zwelferi in mantiſſa ſpagyrica part. 1. Cap. 1. pag. 320.* præcipitare ſtudebam: verùm nihil decidit, quod aurum fulminans, vel colore luteo, vel accenſione ſaperet, idem cum fæcibus balnei, ſed pariter fruſtra tentavi.

§. XXVI.

Argentum verum Hoffmannus *Opuſculis phyſic. Medicis de elementis aquarum mineralium rite dijudicandis* §. *37.* omnibus aquis denegat; quia in vitriolum mutari, conſequenter nec aquis reſolvi poteſt. Quod noſtras verò attinet, ſi in ſcoriis, vel fæcibus latitaret, ſanè cuprum immiſſum, in ſolutionem eorum cum aqua forti, nigreſcere deberet, ùt omnibus artis chymicæ peritis conſtat: at contrarium eſt in noſtro caſu, ſeu cum fæcibus experimentum inſtituas, ſeu cum ſcoriis, ùt factum eſt §. 16. *cap. 2.* Cæterùm, ne dubium tibi moveant albo-ſplendentes illæ ſquamulæ, quas primùm in fæcibus (*cap. 2.* §. *12.*) etiam poſt calcinationem conſpeximus: deinde in tartaro (*cap. 2.* §. *15.*) & tandem in reſiduo, ſive ab evaporatione (*cap. 2.* §. *13.*) ſive à deſtillatione (*cap. 2.* §. *22.*) pervolvendus eſt paragraphus 82. & 83. *cap. 3. ſect. 2.*

§. XXVII.

Martis particulas copioſas in lapide *cap. 2.* §. *11.* & pauciſſimas in fæcibus *cap. 2.* §. *12.* ope calcinationis, & magnetis ad *Liſteri* exemplum demonſtravimus: aſt in ſpuma, (*cap. 2.* §. *14.*) tartarô (*cap. 2.* §. *15.*) & materiâ à deſtillato balneo (§. *22. cap. 2.*) relictâ fruſtra quæſivi.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

An autem terra aliqua martialis aut vitriolica ſaltem effæta, aquas noſtras nobilitet, quæſtio hìc digna eſt, ùt ventiletur: reſiduum quidem ab evaporatione (§.23. *cap.2.*) per filtrum à ſuo ſale liberatum, ebullit cum acidis, & ruffecit ſicut ochra apud *Liſterum*. Deinde cryſtalli vitriolacei in ſolutione ſcoriarum cum aqua regis reperti, ſapor ille, & viror, qui reſiduum in filtro à ſolutione ſupradicta (§. 16. *cap.* 2.) inficit, myſterium quoddam occultant: rem *in priori caſu* ita fieri concipio: in filtratione quædam ochræ partes unà pertranſiverunt, quæ deinde à ſpiritu vitriolico in aqua regis latitante (ſiquidem ex nitro, vitriolo, & ſale ammoniaco componebatur) imprægnatæ, ſucceſſu temporis quieſcente ſolutione, in fundo unâ cum cupreis ramentis (§.37. *hujus capitis*) deraſis, in cæruleo-virentem formam coagulabantur. Poſteriùs pariter ex ſimili ochreaceâ materiâ eodem ſpiritu irroratâ derivandum eſſe credo: quoniam *Liſteri* obſervatione conſtat, quod ex effætâ ochrâ, paulìſper tamen in loco humido recondita, vitriolum denuò generetur: multò magis ergo, ſi vitriolaceo ſpiritu imprægnetur.

§. XXIX.

Neque *dicas:* ochram ſcoriis non ineſſe, quia ex calcinatis magnes nihil attrahit; nam etiam vitriolum ipſum ex ipſo chalybe confectum, & non leviter uſtulatum magnes non attrahit, deinde ochra, ùtùt volatilis eſt, quia reſiduum (§.*13. cap. 2.*) levi ſolùm, non forti igne evaporatum ruffeſcit. *Si urges* ſaltem aquas immixtio Gallarum Turcicarum nigredine, ſecus ac (§.*19. cap.* 2.) aſſeritur, tingere debuiſſet. *Reſpondeo ex Liſtero tractat. de fontibus medicis Angliæ cap. 6. num. 5.* ochram aliquando ita lavari, ut aquas atramentoſas cum Gallis non efficiat: patet id ipſum in acidulis longâ morâ, & aperto vaſe evanidis: hæ

enim (quamvis ochram in fundo lagenæ reperies) non tamen tincturam à Gallis recipiunt. Igitur concludo cum laudato Authore *lib. citat. cap. 12. pag. 77.* etiamsi omnino nihil è contentis crematis magnes attrahat, tamen nihilominus ferri metallum inesse posse.

§. XXX.

Confirmatur sententia nostra *ex cap. 2. §. 21. num. 1.* à vitriolo enim nigredo, adstringens, & terreum principium in aquis præsupponit, v. g. gallas, rad. bistort. Herbam salviæ, folia Thee, & cætera artificialiter incocta: ergo cum ars locô citatô aquis illud nostris non indiderit, naturaliter inest sub vaporantis, & effætæ nomine ochræ, quæ, quamprimum ad fundum cadit, aquarum nigredo cessat, si *quæris*, cur aqua nostra, postquam diutiùs aperto vase esse finitur, non ampliùs à vitriolo tingatur; *dico ex Listero loco citato*, ochram duplicem esse, aliam vaporantem, quæ instar spiritus in fontibus tum frigidis, cùm calidis avolat, aliam, quæ in igne permanet: prior potissimùm aquis nostris efficaciter inest, & ab ea tantùm hoc experimentum petendum est, posterior autem, & leviter, & segniter tantùm tingit, ùt experiri potes, si super eam magnete separatam (*cap.* 1. §. *2.*) vel fæces calcinatas (§. *13. cap. 2.*) vel ipsum residuum leniter ustulatum aquam affuderis, eíque vitriolum injeceris; altera quippe die fuscitas solùm aliqua percipietur: ratio est, quod, aut igne immutetur, aut nexus, quem naturaliter cum aquis habet, destruatur, aut aliunde ratione crassitiei improportio sit.

§. XXXI.

Præter ochram tartarus balnei (§. *15. cap. 2.*) aliud etiam terræ genus patefacit, quam calcariam appellamus; nam fere in calcem vivam uritur, ùt plurima signa (§. *17. cap. 2.*) declarant: *confer Willisium Tractat. de fermentatione cap. 10. pag. 79.* hæc in eo quidem fixa, volatilior tamen in

spuma

ſpuma (§ *14. cap. 2.*) quia longiori coctione diſparet. (§. *2. cap. 1.*) Tandem tertium adhuc terræ genus in aquis noſtris latet, quam tunc primùm, dum tertia, & quarta filtratione ſalem à reſiduo balnei evaporatô (*cap. 2.* §. *22.*) depurare volueris, in filtro conſpicies: albicat magis, guſtu inſipida eſt, cum quadam aſperitate, quaſi ſubtiliſſimæ alicujus arenæ, farinam imitatur, & ſimiliter ad quandam lapidis calcarii ſpeciem referri poteſt, ſed cum hac diſtinctione, quod nec cum acidis, nec alkalinis ferveat.

§. XXXII.

Non hìc alumen multis, aut nitrum calcarium refutabo; utrumque enim hoc ſuper carbones vivos ſpumat, nullatenus maſſæ noſtræ, ſeu ex ipſo balneo deſumantur, ſeu eæ, quæ adjacent, ſpectentur, ùt *cap. 2.* fuſiùs videre eſt. *Si dicas* ſaltem per poros tripodis terrei in evaporatione balnei noſtri (§. *23. cap. 2.*) multæ bululæ effloruerunt: dico, quod hoc etiam ſali communi, ſi igne fortiori uratur, commune ſit.

§. XXXIII.

De nitro vulgari, quid ſentiam facilè cuique patet: nullum enim corpus, quodcunque examinavimus ullum ejus ſignum, nec inflammabilitate, nec frigoris ſenſu, minus figura prismatica præbet: neque obſtat, quod præcipitatum à Mercurio ſublimato ſuper carbones vivos, & inflammabatur, & fumabat (*cap.* 2. §. *21. num. 4.*) nam, dum altera vice experimentum factô copioſiori præcipitatô tentarem, non ſucceſſit: ideo puto, me ob paucitatem præcipitati in filtro remanentis, deceptum fuiſſe: quoniam chartæ emporeticæ particulæ probabiliter ſimul abraſæ acceſſerunt, quod in cautelam aliorum adnotare volui, & licet nulla ſubeſſet fallacia, nihilominus inde tamen nitrum phlogiſton non probatur; quia hoc levi ſaltem cum ſonitu, ſecus in phænomeno noſtro accendebatur.

§. XXXIV.

Salis communis maxima in aquis noſtris extant veſtigia: nam ſapor reſidui à deſtillatione (§. *12. cap.* 2.) crepitatio ſuper ignem, fumus ab infuſo oleo vitrioli nigro aſſurgens, & nares fortiter feriens rem noſtram abunde probant. *Si opponis:* etiam ab oleo vitrioli ſuper nitrum inſtillato, fumus ingens elevatur. Contra eſt, quod noſter album colorem præſetulerit: à nitro verò fuſcus quandoque rubeus etiam fumus aſcendit.

§. XXXV.

Sulphur pariter aquis noſtris haud denegare poſſumus, quia non ſolùm ex odore (*cap.* 1. §. *2. & cap.* 2. §. *18.*) ſed ex eo etiam, quod balneum argentum per varios ſucceſſivè colores denigret, oſtenditur. Præterea odor ſpumæ ſuper prunas (*cap. 2.* §. *14.*) interior laminarum calcinati nigredo tartari (*cap. 2.* §. *15.*) quemadmodum ſi cornu cervi igne clauſo ureretur. Item viſcoſitas aquarum corruptarum (*cap. 2.* §. *18.*) fætor ab infuſo butyro antimonii (*capit. 2.* §. *11. num. 3.*) & cum ſaccharo Saturni fida ſatis encheireſis (*cap. 2.* §. *21. num. 2.*) aſſertum noſtrum demonſtrant; etenim ſi hoc ultimum in aquas evanidas projeceris, lacteſcent ſolùm, at ſi illis flores ſulphuris ſatis incoxeris, rurſus nigredo conſueta orietur: *ſi oggeris:* me balneo evanido primùm ſaccharum Saturni injeciſſe, deinde flores ſulphuris, ac poſtea ſat diu ad ignem incaleſcere permiſiſſe, quin tamen ulla mutatio colorum ſubſecuta ſit. *Reſpondeo* me notanter monuiſſe, quod primùm flores ſulphuris incoqui debeant, ac demum ſaccharum Saturni injici: ſecus enim hoc non ſinit aquæ debitè communicari.

§. XXXVI.

Optimum verò ſulphuris indicium deſumitur ex odore illo, qui exoritur ab affuſione ſpiritus cujusdam vitriolici ſuper fæces (§. *13. cap. 2.*) aut tartarum noſtrum calcinatum:

tum:

tum: cujus eadem mihi causa esse videtur, quam *Hoffmannus observat physico-chymicar. lib. 3. observatione 10.* fumo sulphureo, qui ex affuso spiritu vitrioli super carbones vivos elevatur, attribuit. *Si opponis* in nostro casu odorem provenire ab oleo carbonum se in fæcum, aut tartari poros, dum calcinarentur, insinuante; ast amabo, cur idem carbonum oleum se pariter saxis nostris *(cap. 2. §. 11.)* utpote eodem igne calcinatis non insinuaverit? licet enim prædictos spiritus iis superaffundis, nullum tamen odorem sulphureum percipies. *Quæres*, quì fieri possit, ut tum acida, cùm alkalina (§. *10. cap. 2.*) odorem balnei nostri diutiùs conservent: *respondetur*: quod alkalina agant sulphuris generati partes volatiles extéicando, sicut dum flores sulphuris cum sale tartari funderes; acida verò novum commune quasi sulphur generando, sicut in superiori Hoffmanni exemplo apparet.

§. XXXVII.

Spiritum aquarum nostrarum corrosivum esse, cacabi fortissimi, in quibus coquitur balneum, vix ultra 20. annos durantes testantur: narratur enim, quod dum aliquando pretii levioris causa cacabus tenuiori de cupro, & non usque adeo firmô fundô, constructus fuisset: una æstate exiguis instar cribri foraminibus exesus fuerit. Specialiter spiritus iste Marti infestus est, alias jam dudum circulis ferreis vannos cingi jussissent balnei possessores, comprobat assertum catena ferrea (§. *11. cap. 2.*) igitur illum potissimùm è martialis mineræ natalibus gigni autumo: ita enim & odor sulphureus, & montis, ex quo aquæ scaturiunt, indoles (§. *10. cap. 1. &* §. *11. cap. 2.*) & apparens à spiritibus vitriolaceis super fæces calcinatas affusis phænomenon (*cap. 2.* §. *13.*) suadent. *Si opponis* ex (§. *14. cap. 2.*) quod spuma spiritum fætentem, & alkalinum destillatione suppeditârit: *ajo*, istum vix genuinum spumæ partum esse; nam

sicut

ſicut fæces è fundo exceptæ (§. *2. cap. 12.*) ob pennas gallinarum &c. impuræ fuerint: ita ſpuma etiam ex incuria eorum, qui balneo incoquendo præſunt. Ego quidem quantùm cernere poteram ſeparavi: ſed tamen ignis meliùs. Concludo itaque in aquis noſtris reperiri, ochram ſatis volatilem, & effætam, terram calcariam, farinam arenulæ quaſi calcariæ, ſal commune, ſulphur vaporans, & ſpiritum ex minera Martis.

§. XXXVIII.

Poſitis principiis modus agendi eluceſcit: *aqua* enim totam corporis peripheriam, quantò aëre eſt gravior, tantò premit vehementiùs; quia igitur gravitas illius 850. circiter vicibus hujus pondus ſuperat apud *Bœrhaaveum Elementor. chymicor. tom. 1. pag. m. 549.* facilè quivis de aquæ viribus in promovendo fluidorum motu, acrimoniâ diluendâ, comprimendîs, penetrandîs, conſequenter & humectandîs ſolidîs conjectabitur. *Salis communis* vis irritans cuivis nota eſt: aſt cum valdè exigua quantitate inſit (vix enim ſcrupulum ſemis ex libris ſex aquæ adipiſcimur) non tantos ab eo effectus præſtolari debemus. *Sulphur* abſtergit, *farina arenoſa* fibrillas repetitis impulſibus agitat, *terra calcaria* abſorbet, *ochra* præterea villos roborat, *ſpiritus* tandem intimos vaſorum & fibrillarum tubulos permeat, tonum addit, lentores impactos reſolvit, & per convenientia emunctoria pro naturali vaſorum diſpoſitione eliminare cogit. Vide §. *2. cap. 4.*

§. XXXIX.

Ratione utendi modi memorantur Croatæ quidam è vena illa, quæ ad Danubii ripas (*cap. 1.* §. *9.*) egreditur, bibiſſe, & fortiter deſuper purgâſſe. E puteo tamen noſtro nullus ſcitur, qui aquas in internum uſum adhibuiſſet præter gallinas, anſeres, equos, qui avidè inde potare, & pinguiores fieri perhibentur. Igitur externus uſus ſolùm ha-

acte-

ctenus ex §. *4. cap. 1.* observatus est. Hanc autem prærogativam etiam præ cæteris Austriæ balneis obtinet, quod cum vicino Danubio misceri, & pro indicatione Medici in cholericis, sanguineísque attemperari possit. Cavendum pariter, ne nimis calefiat: sufficit enim juvenibus, & calidis æstivo præprimis tempore quandoque nihil, quandoque unam tantùm urnam fervidæ pro uno vanno calefaciendo adhibere. Ne aliunde in fervorem proclivis sanguis, fortiùs agitetur. Præterea hi, & omnes, qui doloribus capitis gravioribus sunt obnoxii, cautè observabunt, ut dum solio insident, caput à vaporibus sibi bene muniant. At phlegmatici cum senibus, & calidiùs (§. *3. cap. 1.*) & diutiùs, & puriùs balneabunt, & gausape vannum contegent, ut nimis citò mineralium spiritus in auras non abeat. Cætera, quæ ad regimen, & diætam pertinent ex *cap. 4.* § *53.* sunt petenda.

CAPUT QUARTUM.

Ponit Usum, & abusum Balnei Altenburgensis.

§. XL.

UTilitas Medica consideratur habito respectu ad in & coindicantia: illuc pertinent morbus, causa morbi, vires, & symptomata: huc temperamentum, ætas, tempus, regio &c. de illis ordine agam, hæc sparsim interseram. Si cacochymiam biliosam, aut serosam acrem cum pituitosa, seu acida in corpore humano commixtam chronicè prædominari contingat, difficile malum, cujus remedium non alibi faciliùs, quàm in nostro reperies balneo; nam cum medici opus sit naturæ æquilibrium restituere, si das calida,

efferantur volatiles bilis partes; ſi frigida, viſciditas non ſubtilizatur, poríque clauduntur. Ergo quod inter hæc medium, optimum eſt.

§. XLI.

Atque ut à cauſis rem conficiamus, ſi ſubitaneæ modò in calidum, modò frigidum permutationes: ſi diæta ex calidis, frigidísque coacervata ſit: ſi nunc vigiliîs, nunc ſomnô nimis torpeſcimus: ſi modò mærore, modò rurſus exceſſivis iræ, Veneris &c. motibus exagitatur corpus: ſi evacuationes conſuetæ v.g. hæmorrhagiæ narium, menſes, hæmorrhoides in ſubjectis robuſtioribus diutiùs ſuppreſſæ ſint: &c. quid, amabo! niſi memorata ſæpe exſurgit cacochymia? docent id phlogoſes ſine manifeſta cauſa evenientes, paroxyſmi morborum ab aſſumptis, ſeu calidis, ſeu frigidis exacerbati, ſymptomata quandoque ad ſpeciem contraria, & reliqua, quæ in ſequentibus adducemus: ánne exiſtimas calidis, potentiſſimísque Badenſium aquis te ſanitatem priſtinam recuperaturum? an forte frigidis Bertholdſtorffenſium, aut Rhodaunenſium aquis &c.? Hyppocrates cum tota dogmaticorum ſchola per contraria curat: effervеſcentiæ opponitur temperatio, viſcedini attenuatio, cauſæ inhærenti ejus excluſio, ſtaſi motus naturæ conveniens: totum hoc præſtat balneum Altenburgenſe ex Cap. III. §. XXXVIII.

§. XLII.

Anteceſſores noſtri morbos ſolummodò à frigore ortos aquis iſtis curari voluerunt, at ſi accuratiùs rem inſpicias, rariùs quidem, & frigidos, & calidos à noſtro lædi balneo obſervabis: ſiquidem naturæ eſt mediæ, multúmque differentis à thermis Badenſibus; hæ enim vaporum acrium vehementiâ inflammationes oculorum generant, in podagra utplurimùm nocent, contracturas perſæpe adaugent. Noſtri verò balnei aqua elegantiſſimum præbet remedium. Sane ſi ſub-

ſubjectum ſit plethoricum, bilioſum, aut juvenile in omnibus iis morbis, in quibus Badenſes aliàs commendantur, multis paraſangis noſtros adhibere præſtat. Ideò ſingulis ferè annis triſtia Badæ notantur exempla, at vix unum ſeniorum memoria tenet in balneis noſtris. *Oppones:* Spiritus martialis, & ochra nimis in cholericis fibrillas ſtringunt: Sed contra eſt, quod poſterior omni vitriolica careat adſtrictione ex §. *28. Cap. 3.* ſpiritus autem ad libitum aqua danubienſi (§. *29. Cap. 3.*) dilui poteſt, & ſponte naturæ ab influente frigida in puteum venâ (§. *6. Cap. 1.*) ita diluitur, ut oſcillationes promoveat, non effrenet.

§. XLIII.

In ſpecie in doloribus capitis, cephaleâ, aut hemicrania per conſenſum v. g. ab utero in virginibus maturioribus, viri cupidis, aut viduis juvenculis: in auditu difficili cumprimis à partu: in tremore, vertigine, ſpaſmô, aut paralyſi cum aphoniâ, ſuperveniente potatoribus, colicæ convulſivæ, Rheumatiſmo, & in aſthmate ſpaſmodico: ictero, phlogoſibus hypochondriacis, ſuppreſſione hæmorrhoidum inveteratarum, Chloroſi cum palpitatione cordis, menſibus doloroſis irregularibus, aut adjuncto cardialgico dolore, &c. obſtructis: fæminis recens maritatis, & ſæpiùs abortientibus, ſudore juvenum nimiô, ulceribus ſcorbuti rancidi, & doloribus profundis, præprimis ſi aliò ſimul per fontanellas &c. materia peccans avocetur, & ſpumâ balnei pars affecta illiniatur. Tandem in ſcabie etiam, experientiâ quotidianâ teſte laudari meretur; ſic filius vitriarii Hamburgenſis cæruleis puſtulis, albâ tectis cruſtâ, toto corpore obſidebatur, quarum ſi quandoque unam aperiri contigit, ichor erumpens multum ulcus exedit, & inflammavit, ſpatiô trium nihilominus ſeptimanarum curatus eſt.

§. XLIV.

Præ cæteris uſus ejus recentiſſimis exemplis commendatur *primò*, in arthritide calida: ſic multos invenies, qui ab aquis Badenſibus, deteriùs habuêre, noſtris ita alleviati ſunt, ut totô fere annô immunes perſtent; in quorum cenſum meritò venit ſupra laudatus Dominus Seleſcovitz vir ſeptuagenarius, ſanguineus, vegetus, diætæ, perſpirationi, & commotioni ſtudens: balneat quadraginta, & ultra per annum vicibus, & luſtrum jam labitur, ex quo non ampliùs, niſi ſummô hyemis frigore, per duos, tréſve dies decumbit. Non jam adducam duos ante annos piè defunctum patrem Ivonem Ord. S. Franciſci concionatorem Jubilatum, & ſeniorem Hamburgenſem, qui per multos annos, tum hyemis, cùm æſtatis tempore hac ſibi medicina vitam prorogavit. Plura vivorum proſtant exempla, quorum nomina in publicum proferre non licet: Illuſtriſſimus quidam Baro quadragenarius, & ſanguineus per medium annum ex podagricis doloribus decubuit, quam primum ad noſtram confugit anchoram, meliùs habuit. Nobilis matrona 45. annorum præterquam, quod pedum uſu deſtitueretur, ex metaſtaſi arthritica à cubito ad carpum uſque ſæviſſimā manuum inflammationem perpeſſa fuit; at noſtris aquis ab omni dolore, & captivitate pedum eſt liberata.

§. XLV.

Neque hìc certum morbi tempus religiosè nimis obſervandum: in ipſo podagræ paroxyſmo ingredi balneum juvat, hoc olim jam ſuaſit Magnificus Dominus Mannagetta; ita enim intra triduum ceſſare ſolet dolor, & membrum in officium redit. Non autem repercuſſio materiæ incaſsùm timeatur; abeſt enim ab aquis noſtris vitriolum, & quod antiquitùs ſomniabatur alumen. Sunt etiam nonnulli Medicorum, qui ultra quatuor, aut quinque balneationes non concedunt, metuentes, ne ex corpore impuro nimia quan-

titas

titas materiæ prodagricæ in debilitatos aliunde artus, hoc pacto decumbat, ſed vel ideo multò diutius ægrotantes balneare oporteret, ut omne impurum in partem minus principalem deponeretur, præprimis in podagra recurrente, in qua probatiſſima ſæpe remedia felici carere eventu videmus.

§ XLVI.

Cæterùm in Iſchiatica aliquot annis inveterata, aut aliis doloribus diuturnis, & fixis celebratur: generoſiſſimus quidam ſuper unam Cæſareæ militiæ legionem Colonellus, temperamenti mediocris, à 23. annis tremendos in axillis dolores perpeſſus, & quia juſſu Poſonienſium quorundam Medicorum, ſex indies horis balneo inſedit, dolores quidem ceſsârunt, at in tantam debilitatem incidit, ut non curru, ſed adversô danubiô Viennam revehi debuerit. In rheumatiſmo certò multorum experientiâ, utilitas balnei noſtri commendatur, ſed admonere debemus, quod plerumque ab initio ſuſceptæ curæ ob agitatam cauſam, dolores adeo augeantur, ut vix tolerentur: deinde autem ſpiraculis cutis apertis ſucceſſivè evaneſcunt. Nonnunquam etiam toto curationis tempore vix notabile levamen perſentitur, at quatuordecim circiter diebus poſt peractum balnei uſum, pacato humorũ motu, prima ſanationis ſigna apparent.

§. XLVII.

Prodeſt *ſecundò* in contractura cumprimis juvenum: puella 15. annorum Croato-Auſtriaca ex nimiis doloribus emaciata, ita contracta eſt artubus, ut in- & extra balneum portari debuerit, dum ſexies balneavit, levamen ſenſit, & tandem longiori uſu totaliter curata eſt. Rurſus puer 10. annorum ex Ungeriſch-Altenburg totus macie conſumptus, & omnibus artubus captus, eminentibus inſtar culcitræ genubus, poſtquam viginti vicibus lavacrum ſubiit, uni baculo innixus egredi poterat. Centies dein, & ultra balneavit, & perfectè ſaluti reſtitutus eſt, nunc Poſonii literis vacat.

§. XLVIII.

Prodeſt *tertiò* in fluore albo: durante in ſeſſu hoc, ſupremam balnei ſuperficiem, & fundum fœtidiſſimus mucus occupat, unde eò uſque lavacrum continuandum eſt, donec aliquando clareſcat. Illuſtriſſima perſona obeſa, & ſanguinea per duos annos hoc fluxu tenebatur, aquîs ſotericîs in Trenczin ſinè, ſed noſtrîs cum euphoria per quatuor ſeptimanas uſa, & paulò poſt maſculô imprægnata eſt.

§. XLIX.

In febribus intermittentibus quartanis cum obſtructionibus quidam balneum ingreſſi ſunt, macros & exſuccos non juvit, ſed neque multùm nocuit. Contra textor quidam Hamburgenſis quinquagenarius homo cæteroquin pinguis, & tribus anni quadrantibus pedum tumore ædematoſo laborans in actuali paroxyſmo balneavit, vomuit, & ſanatus eſt. Dominus Author deß Freyherꝛl. Ludwigſtorffiſchen Baad-Buchs commendat in hydrope incipiente, aut anaſarca; reſeratis enim obſtructionibus lymphæ &c. circuculus promovetur: aſt nemini author ſum, ùt inveterato in aſcite, cum diuturnis viſcerum læſionibus, iisdem aquis utatur. Nocent in phtiſicis, hecticíſque colliquationibus, & hæmorrhagiis nimiis; nullæ enim hìc per balnea evacuationes ſunt promovendæ, quia aliunde nimiæ. Deinde menſtrui fluxûs tempore abſint balnea, ne curſus naturæ turbetur. In febribus verò continuis, aut exanthematicis partim ob vires, partim ob mutationes corporis nunc madentis, nunc ſiccati, nunc calidi, nunc frigidi: partim etiam, quòd excretiones ſymptomaticæ perſæpe lethales accedant, ab ejusmodi lavacris abſtinere cogimur. Cauſam tamen antecedentem morborum epidemicorum, præcipuè ſi in aëre ob ventorum defectum, aut putrefactionem latitat, vapor balnei noſtri corrigit: ideo jumenta elapſis jam jam annis, & homines

mines 1713. ab omni in Teutsch-Altenburg infectione liberi perstiterunt, quamvis circumquaque copiosi, & inficerentur, & perirent.

§. L.

Patet ergò singularis Numinis providentia, quæ Austriæ simul, & vicinæ Hungariæ scaturientibus in confiniis aquis, ad illos averruncandum morbos, qui regiones has potissimùm lacessunt, benignissimè prospicere voluit; nam potus vinosus, & spirituosus, noctis frigus, & ciborum farinaceorum incolis familiaris quantitas, nullam sæpiùs præter eam, quam §. *40. & 41. hujus Capitis*, assignavimus, cacochymiam producere valent. Sane plurima popularium pars ex ista laborat, qui appropriatum sibi remedium non alibi meliùs, quàm è nostris haurient aquis.

§. LI.

Diversam edit balneum nostrum operationem, ob meatuum diversam, fibrarúmque in diversis subjectis constitutionem; nam *in aliis* per insensibilem transpirationem, post balneum in lecto, (& somno aliunde facilè abrepente) auctam, ac per juscula, theata &c. promotam, operatur: *in aliis* per alvum, sed rariùs: siquidem sæpe primùm adstricta est, & clystere promota, deinde utiliter, sicut à magnesia nitri, ubi acidum prædominatur, solvitur. *In aliis*, & sæpe quidem per urinas adeò, ut ter, quatérve in vanno lotium reddere cogantur. Vir quidam in nobili officio constitutus, urinæ paucitate, doloribus lumborum, & unius pedis majore ædematoso tumore excruciabatur: postquam 15. vicibus balneavit, calculum magnitudinis fabæ eminxit urinâ profluente multâ, crassâ, arenosáque, pes infirmus detumuit, sanô econtra nonnihil intumescente, domum rediit.

§. LII.

Nonnulli dum balneare inchoant, in nauseam ciborum incidunt, & vix antequam vigesies aquis insederunt, appetitum



SECTIO II.

De Balneo Byrenwartensi.

CAPUT PRIMUM

Descriptio fontis, & præparatio Balnei Byrenvvartensis.

§. LV.

AD Orientalem Vici plagam in medio vallis, fons è querno, & terram supereminenti puteô, erumpit: profunditas 26. diameter 5. circiter pedes habet: aqua summam sponte transgreditur oram, & tribus semicanalibus effluit, quorum duo minores sunt, in ordinarium hominum, pecorísque usum. Alter longior in locum, ubi coquitur, deducit: totus fons quadratâ, & rubro tinctâ colore sepe ambitur, non tectô, non operculô, non umbra ab aëris injuriis munitur. Soli, pluviis, nivi &c. exponitur, dum ego illum invisi, exsiccatæ viarum sordes à ventis elevabantur, & in aquam deciduæ supremum ejus planum quasi tenui cuticulâ condiderunt.

§. LVI.

Mirabar, fontem, sotericum non meliùs custodiri, & dum hujus causam quæsivi, illam percepi, ut influxui nimirum siderum

rum pateat aditus: verùm, éſtne tantùm inde commodi, ut detrimentum, quod ab aëre infertur, reſarciat, cuivis ſanæ mentis judicandum relinquo: aqua pluviæ citiſſimè corrumpitur in meros vermiculos: nivis tanquam inimica pectori, & orba ſpiritu ab *Hippocrate* damnatur: viarum ſordes non modo de ſe ſuffocant, tuſſim movent, circulum præpediunt, tracheam, ſtomachum, viſcera &c. opplent: verùm etiam cum ex rebus omnis generis, nobíſque ignotis conſtent, tali perfacilè pacto deleteriæ qualitatis, aut ſaltem peregrinæ, & à fontis virtute multùm alienæ indolis mineræ, herbæ &c. in aquas transportantur. Accedit, quòd ſiderum natura nos penitùs adhuc lateat: quis enim ſolidô argumentô Saturni malignitatem, Jovis benignitatem, aut Mercurii inconſtantiam evincere valet? nugæ ſunt Aſtrologiæ divinatoriæ. Quin imò, cùm Aſtra non minùs bonos, quàm malos gignant effectus, cur non ad fontem tuum, cum Calendariô, & tubô aſtronomicô continuò ſedes, & pro illorum diverſitate jam contegas, jam aperias, quemadmodum in eclypſibus apud quosdam uſitatum eſt. Profectò tam ſubtilis eſt Superiorum in ſublunaria actio, ut licèt inſtar Danaës te occludas, nihilominus penetret: quot pellibus arthriticus, podagricúsque ſe munit! omnia cubiculi foramina obſtruit, & in molli ſe condit lectulô: attamen ad æquinoctia, & ſolſtitia amarulento ſentit ore, moveri doloroſum internè thermometrum &c. itáne tu, ſi fontem tectô defendis, ſidera arcebis?

§. LVII.

Puteus ſingulis ſolet annis purgari, ſed dum ego illum obſervarem, ſordes diutiùs inhærebant; interior ſuperficies bullulis undique, & herbacei coloris mucedine, quam modica flavedo, & fuſcitas diſtinxit, adeò obſidebatur, ut quibusdam in locis fere pugni magnitudinem æquaret: hinc ſæpe avulſæ craſſiores laciniæ fonti ſupernatant, ſæpe cu-

 ticulæ

ticulæ tenues, & ex cæruleo-albentes, quas nitrosam vulgus erroneè vocat pinguedinem; at sive in illas aciculâ ab aqua semotas, indages: sive obtutum, aut microscopii aciem splendente sole defigas, pingue nihil, sed subtilissimas, levíque nitore variegatas, muccaginis illius membranulas esse, facilè cognosces: cum bullulis verò ità comparatum est, ut, quasi uniones Mercurii vivi splendore lucentes, existimes, certant continuò moveri, jam è fundo in medii putei parietes, jam inde copiosissimæ in supremas aquas gratissimo cum tremore undulant, ubi pars subitò in auras evanescit, pars in circumferentiam propulsa fontem leviter coronat.

LVIII.

Ut certiùs naturam aquarum scrutarer, curavi fontem purgari: sordes è putei parietibus deverrebantur; aqua primùm bona, circa finem nigra, crassa, corrupta, fæculenta, instar cloacæ fætens hauriebatur, quin tamen unquam tota exhauriri poterat; nam ad orientalem fontis plagam penes fundum magna ex commissuris asserum vena tanto cum impetu salit, ut intrusis etiam multis centonibus occludi nequeat: putei latera contabulata sunt, muscô undique firmantur, ansísque ferreis, quarum plurimæ illæsæ, sæpe etiam albente ferro nitere cernebantur: at quaternæ, vel quinæ (non obstante trium circiter mathematicarum linearum crassitie) rubigine, & diuturnitate exesæ, ideóque noviter reparandæ erant: ingens intus frigus, fictilium fragmenta, duri lapides, & illuvies eâ copiâ fundum opplebant, ut, antequam puram contigimus arenam, accrescente aqua, ab opera recedere coacti simus.

LIX.

Locus, ubi fontana nostra in balnei usum paratur, est rectangulus, ruditer asperis ex asseribus conclavatus, in tres areas divisus, in prima ligna fornacibus immittuntur, in ultima ternæ sunt cameræ, in quibus pauperiores balneant:

in

in medio balnearia est suppellex, & gemini è cupro cacabi: pervetusti hi, & hominum memoriam exsuperant, fortes tamen, minor duodecim, major circa viginti continet urnas, istis aqua nostra coquitur, & intra semialteram horam albescere, turbari, in bullas albas elevari, & bullire incipit, continuátque quò diutiùs, eò meliùs, ordinariè tamen per unam integram adhuc horam, donec urnæ tres, quatuórve &c. in vapórem abierint. Interea rursus bullæ disparent, aqua magis crassescit, totum cacabum crustâ albâ, & durâ successivè obducit, taliter parata aqua solet, aut aliò in doliis bene obduratis devehi, aut in balneantium cubicula deportari, ut hujus quatuor, quinque vel pluribus urnis impleantur solia, & recalescant, tandem, dum illa rursus refrigeratur, per aliquod tempus deposita, evadit clarior, & copiosum satis ad fundum sedimentum præcipitat.

§. LX.

Contra si aquam in puteo natali à sordibus mundato, spectes, longè aliam habet faciem, crystalli instar pellucet, & quidquid in fundo est, clarè videre sinit: deprehendes gustu insipidam, æstate frigidam, hyeme calidam, fumantémque: odor mane nondum orto sole, ad sulphureum leniter vergit, & quamprimùm dies magìs illuxit, amittitur: sedimentum, licet in vitro stare diu sinas, vix aliquod invenies. Miranda sane res est, limpidissimo huic liquori tantam crassarum (§. 59.) partium copiam inesse: immò nonnullos invenies, qui suspicantur à balneatore certam compositionem, priusquam aqua coquatur, cacabo imponi: opinio hæc vim inde suam desumit; quia, si frigidam nostro è fonte haurias, peregrè in doliis deducas, & alibi coquas, non lactescit.

§. LXI.

De duratione fontis hujus nil certi constat: circumfertur quidem manuscriptum sub titulo Baad-Ordnung

 des

des löbl. Baads zu Byrnwarth / cujus in fine ſequentia leguntur:

GOttes Seegen wünſch ohn Unterlaß
Der Wund / und Leib-Artzt Stephan groß /
Bürtig von Efferding aus der Stadt
Da Graf Georg Schaumberg regieret hat /
Geben in drey / und neunzigſten Jahr /
Uber nach ein tauſend vierhundert war
Da lebte ich / und war auch geſund /
Und heilte manchen Schaden und Wund.

Ergo chyrurgus iſte, ſeu potiùs balneator Annô 1493. rudem hunc, plenúmque erroribus tractatulum incomptâ Musâ, primus de hoc balneo exaravit: poſtea verò altum apud literatos omnes eſt ſilentium. Nemo hactenus pientiſſimum Domini Dörr in Altenburg exemplum imitabatur, qui publico teſtimonio ſolemniter balneum ab Inclyto collegio medico examinari voluiſſet: per trecentos circiter annos, tot ægrotantium millia, incognitæ, dubiæque commiſſa ſunt aleæ.

§. LXII.

Denique qui huc balneandi causâ ſe conferunt, habent ædificium nobile, quod commoditati eorum abunde ſatisfaciet, totum egregiè conſtructum, dummodo editiori v. g. in proximis collibus ſitu potiorem aëris ſalubritatem ſortiretur. Qui autem ibidem habitare renuunt, eis in vicinis vilicorum caſis ad cujusvis genium hoſpitium quærere liberaliter indulget florentiſſimum illud, ſex modo jam ſæculis, cujus ditioni Byrenwart ſubjicitur, Clauſtro-Neoburgenſe AA. RR. D. D. Canicorum Regularium Collegium Chriſtophoro id temporis Præpoſito.



CA-

CAPUT SECUNDUM

Proponit Examen Balnei Byrenwartensis.

§. LXIII.

UT in notitiam fontis pervenirem, *primùm* lapides quosdam in vicinia repertos: *dein* illuviem è fundo fontis: *tertiò* muccaginem interiori fontis circumferentiæ adnatam *quartò* musci mutatam indolem: *quintò* tartarum, seu crustam cacabi, *ultimò* denique aquas ipsas penitiùs rimari volui. In colle vicino versus Orientalem plagam (auf der Warth/ & Blesselberg appellant incolæ) mera alba saxa, & concolor cretacea terra continuò ad viarum ripas tractu, observatur, hac nonnulli pauperiores vilici parietes dealbare solent. Præterea aliud friabilium petrarum, ùt ùt levium, genus: quod potissimum rubet, & quibusdam superficialibus in locis multùm flavet, utroque colore manus inficit: intersperguntur copiosissimæ cum splendore particulæ: quarum color à prioribus inermi vix satis oculo distingui potest: at per microscopium, & postquam igne calcinatus sit lapis, albo nitent fulgore: sæpe exteriùs cretaceâ obducitur crustâ, & interiùs nonnunquam, sed rarissima ejusdem materiæ latent punctula: ab oleo vitrioli valde fumat, fervet, ac calet. Ab aqua forti, & regis cum modica fermentatione resolvitur: sed crassô tantùm modô, & illæsis splendentibus particulis: solutionem utramque filtravi, in primam cupri frustulum injeci, sed non perfusum est nigredine, solvebatur tamen, & ab initio viridis, dein cærulea tinctura evasit. Posteriorem cum oleo tartari per deliquium, & affusâ aquâ fontis, ùt artis est, præcipitavi, sedimentum erat flavum, sed caruit in igne omni fulmine.

§. LXIV.

§. LXIV.

Fæces (der Schlam) donec humidæ ſunt, fortiter nigredine manus inficiunt, fætent, argentum, quod iis immergitur, non denigrant, & pro vegetabilium augmento apprimè inſerviunt: dum enim caſu in eas avena incidiſſet, inter breve tempus in notabilem excrevit molem. Qui verò ſiccatas perpendere deſiderat, inſipidæ, inodoræ, & fuſcæ ſunt, albiores tamen, quàm fontis Altenburgenſis, quaſi argenteis quibusdam lamellis, aut punctulis reſplendent, tegularum fragmentis, foliorum ramentis, & cæteris permiſcentur, ſimúlque cum liquoribus ſtygiis fervent, ſed tamen nitor remanſit incorruptus lamellarum. *Si dicas:* vim liquorum alkalinis fæcum partibus caſtratam fuiſſe. *Repono*, quòd ſedulò ſplendentes ab aliis particulas ſegregârim, ſed pariter in aqua forti, Regis, & oleo vitrioli, etiam admoto calore non ſolvebantur. Tandem, ſi fæces calcinare volueris, immutato rurſus ſplendore nigro-ruffeſcent, quasdam particulas magnete attrahi ſinent, & affusô deſuper ſpiritu vitrioli, ſulphureum ſpargent odorem, à quo pariter argentum, ac in thermis denigratur.

§. LXV.

Mucoſæ aquarum ſordes, quarum §. *3. cap. 1.* meminimus, dum igne ſiccantur, inſtar ſpermatis ranarum ſpumant, odorem fortem, ingratum, & herbaceum, ſeu quem gramen recens, aut braſſica diutiùs in cumulum congeſta, & igne toſta, eructare ſolet, ſpirant: poſt exſiccationem ſaporem habent terreum, colorem fuſcum, quaſi ex dilutis virore, & flavedine compoſitum, in quo per microſcopium multæ ſparſim arenulæ, & fibræ ceu è foliis plantarum decerptæ cernuntur: ſuper carbones inamœnum ſpirant fumum, & accenduntur, relictâ locô cinerum in calcinatione copiosâ cum carbonibus materiâ terreſtri, quæ fuſco-nigricat, raris quandoque reſplendet, minimíſque lamellis,

uti

uti fæces §. 56. cum acidis sine ullo sulphureo odore fermentat, & à magnete nihil attrahi sinit, immò licet aqua forti solvatur, filtretur, & oleo tartari præcipitetur, mars nullus, sed alba aliqua materia terrestris cadet.

§. LXVI.

Muscus etiam, quo ansæ ferreæ (§. 58. *cap.* 1.) firmantur, in fonte longâ morâ alterationem patitur: particulîs terreîs intertexitur, & compingitur, sæpe velut cortices quercûs, sæpe minùs indurescit, afforis plerumque fuscus, nonnunquam flavescens, interiùs nigricantior est: huic similis coloris adnascuntur copiosæ terreæ, sat magnæ, alkalinæ, insipidæ, & lapideam habentes duritiem particulæ.

§. LXVII.

Crusta, seu tartarus superficie alterâ, quæ planior, & nonnunquam fuscitate maculata est, crassioribus, vel tenuioribus cacabo laminis accrescit: alterâ sive sulcatâ, vel corii instar camelini grumulatâ aquas respicit: quasi nix albet, inodorus, & insipidus, dum linguæ bene siccus apponitur, adhæret, dentibus contritus, ùt arena resistit, durus, & fortiter compactus non ex minoribus aliis lamellis, ùt tartarus Altenburgensis, sed instar gypso-plastorum operum, unô latitudinis tractu, construitur, fervet multùm ab acidis, non verò alkalinis. Calcinatus ex ea parte, qua cacabum spectat, fuscitatem majori virore diluit, & modicam unius vel geminæ lineæ flavedinem intendit, dum aquam communem affuderis: non incalescit: saporem tamen dulcem, & adstringentem extrahit, supernatante cremore albo, ùt sectione 1. *Capite* 2. §. 17.

§. LXVIII.

Tandem aquam ipsam in idem fere examen deduximus, ac Altenburgensem. Sequentia nihil prorsus immutârunt, nisi quod domesticas nonnulla qualitates tribuerent: pulvis nimirum gallarum, folia quercûs, flores balaustiorum

& sulphuris, sal gemmæ, vitriolum martis, crystalli nitri, & alumen. At albescebat aqua à sale absynthii, spiritu salis ammoniaci, aqua calcis, & præprimis ab oleo tartari, atque per noctem leve, exiguum, & albidum quasi ex minimis planulis compositum sedimentum vix sensibiliter ab oleô vitrioli nigrô effervens, dejiciebatur, quod posterô mane, agitatô leniter vitrô, elevatum est, & aquam non aliter turbavit, ac si lactis gutta liquori immissa fuisset.

§. LXIX.

Albidior etiam aqua nostra ab injecto mercurio sublimato, & butyro antimonii apparuit. à saccharo saturni verò ita se habuit: in principio limpido albescebat: deinde multa satis materia, naturæ alkalinæ ad fundum vitri subsidebat, quæ mota aqua genuinam lactis acquisivit consistentiam, sed notare oportet, quod cum aqua, quæ diutiùs in vasculo quercino asservatur, experimentum paululum immutetur; nam quamvis hæc vitrô excepta, satis clara sit; nihilominus à saccharo saturni subitò flavescit, & reliqua ùt prius, sed flavo præstat colore.

§. LXX.

Ab oleo vitrioli nigro, effervescentia cum sibilo, & vitri incalescentia orta est, ast reliqui acidi liquores, aqua regis, spiritus sulphuris, salis & nitri nullum peregrinum excitârunt phænomenon, præterquam, quod tales bullulæ, quales §. *57. Capite 1.* in fonte spectantur, non modò ad latera vitri appendebantur, sed etiam concusô vitrô sursum undulabant: verùm istud etiam à sale tartari, & aqua calcis vivæ observabatur.

§. LXXI.

Hæc cum aqua è fonte recenter desumpta tentata sunt: at si eam domi fortiùs, coxeris experieris deinde pellucido-flaventem esse cum spiritu salis armoniaci, & oleo tartari per deliquium multò magis lactescere, à syrupo violarum statim intra

tra aliquot horas virescere, & cum oleo vitrioli potentiùs ebullire, quin si filtratam longiori paulò tempore in vitro servaveris, copiosas fusco-albentes lacinias hinc inde volitare comperies.

LXXII.

Non coctionem solùm, sed totalem etiam evaporationem institui, tùm in fontana Birenwartensi recente, tùm in ea etiam, quæ publicô ibidem cocta cacabô, & lactescens ad solia adhibetur: illius libræ duodecim dederunt residui scrupulos quatuor: hujus scrupulos sex: illud in vase vitreo, hoc in terreo-vitreato efflorescentibus foras bullulis, *ut Sect. 1. Cap. 2.* §. *23.* excoctum est, utrumque albet, saporis leniter salso-terrei, cum acidis fervet, & ab oleo vitrioli fumum spargit, si priùs aqua communi solvere lubet, remanent in filtratione super chartam emporeticam terræ alkalinæ flavo-albentis scrupulos duos & semis. Filtratum rursus evapora, & acquires massam, quæ leni frigoris sensu cum acrimonia salina linguam titillat, & super carbones spumat, ínque corpus cinereum, spongiosum & lenissimè salsum abit. Tandem si cum posteriori eodem modo procedas, invenies pariter post filtrationem, & evaporationem massam quandam impuriorem terreo-salsam, quæ super carbones ignitos nec crepitat, nec spumat, sed tamen fumat, & minimæ quædam particulæ nonnunquam saliunt, quædam sed rarissimæ cum flamma lucida accenduntur, in filtro verò relinquitur terra, quam, si calcinaveris, rursúsque cum aquæ tantillô coxeris, non indurescit.

CAPUT TERTIUM.

Statuit Principia, modum agendi, & adhibendi.

§. LXXIII.

BAlneator tria in noſtro balneo ſtatuit principia, Calcem, nitrum, & antimonium; ait enim:

Kombt erſtlich aus einen Kalch her
Deßgleichen auch Saliter/
Laufft aus einer Klufft gleich den Bleyh
Das wird genennt Antimonium reich/
Die drey Stuck reſolviren ſich
Durcheinander in ein Schlůch.

aſt quia opinionem rationibus non munivit: ideo ſingula ordine percurram: deinde ea, quæ ex *Cap. 2.* mihi innotuerunt ſolutis quibusdam quæſtionibus dicam, tandem ſententiam ſtatuam, & modum-agendi, ac adhibendi in compendio proponam.

§. LXXIV.

Primum principium terra calcaria eſt, cujus veſtigia toto ferè *Capite 2.* luculenter apparent: ſive muſcum §. *66.* ſpectes, ſive mucoſas calcines ſordes §. *65.* optimum argumentum deſumitur è cruſta §. 67. & reſiduo ab evaporatione: nec non ex hypoſtaſi alba, quam ſaccharum ſaturni, & alkalina §. *68. & 69.* præcipitârunt, cæterisque ſignis, quorum ſection. *1. Cap. 3.* §. *31.* meminimus. Naturam verò terræ hujus alkalinam ſyrupi violarum viror §. *71. Cap. 2.* & cum acidis fervor §. *70. & 72.* docent.

§. LXXV.

Quia autem nomen terræ calcariæ latiùs patet, ad qualem ejus ſpeciem pertineat, conſiderandum: ſítne calx, vel calcis

calcis genuina materia, vel gypſum: vel aliquid aliud. *Calx* non eſt: nam cum aqua non ebullit, neque in lingua urit. Neque eſt genuina calcis, qua pro cæmento utimur, materia: talis enim lapidea eſt, & poſt calcinationem incaleſcit, ſecus terra noſtra: ùt in cruſta, & reſiduo (*Cap.2.* §. *67.* *&* *72.*) videmus. *Si dicas*, quod pervetuſti rudera fornacis, in quo calx olim vicinô ad Byrenwart campô excoquebatur, aliud innuere videantur: contra eſt, quòd ex incolarum teſtimonio lapis calcarius aliò advehebatur.

§. LXXVI.

Gypſum pariter dici nequit: quia uſus aquæ noſtræ internus larga quantitate ex §. *90.* *Cap. 3.* approbatur, gypſi autem, propter venenoſam, & ſtrangulatoriam vim, inter dicitur apud Beclerum & alios. Deinde gypſum, quod uſtum eſt, ſi aqua affunditur, & exin maſſa formatur fluida, paucas intra horas in lapideum corpus concreſcit: non reſiduum noſtrum ab evaporatione, quamvis calcinetur *Cap.* §. *72.*

§. LXXVII.

Reſtat igitur, ut terram noſtram calcariam de illarum ſorte eſſe dicamus, quæ in officinis titulô boli albi inſigniuntur: his enim non modò vires, quæ capite ſequenti adducuntur, reſpondent, (videatur König in R. M. *Sect.* *4.* *Cap.* *2.* *pag.* *398.* *num.* *49.* verum etiam cruſta alba (§. *59.* *Cap.* *2.* proximè ad fiſtularum illarum materiam accedit, quæ ex ſimili bolo paratæ fumigando tabaco inſerviunt, & apud nos nomine colonienſium veniunt.

§. LXXVIII.

Occaſione terræ hujus, enodanda venit celebris illa quæſtio, quam *cap. 1.* §. *60.* tetigimus: an nimirum balneum Byrenwartenſe artificiale ſit, vel naturale? prioris partis ulterior ratio deſumitur ex §. *72.* *cap. 2.* ſi enim evapores aquam, tum recenter è fundo deſumptam, tum prout ibidem exco-

cta ad salia infarcienda adhibetur, se habet illius residuum ad hoc: ut duo ad tria. Verùm enim si accuratiori experimentum indagine perpenderis, in posteriorem mecum sententiam descendes: siquidem dum in cacabo aqua coquitur, priusquam balneo apta sit, ex viginti urnis ad minimum quatuor (*cap. 1.* §. *59.*) remanente sedimento in auras abeunt. Deinde rariùs cacabus ex integro exinanitur, sæpiúsque prioris aquæ reliquiæ denuò excoquuntur: aquæ autem ejusdem natura est, ut licet omnium purissimam vasis chymicis destilles, si tamen eundem laborem ad ducentissimam usque vicem, per iteratas reaffusiones, repetas, ex uncia una aquæ, drachmæ sex terræ remanent experimentô Bogleanô apud *Bœrhaaveum instit. chymic. tom. 1. tit. 3. num. 7.* Ex quibus ratio elucescit, cur peregrè deportata fontana nostra, dum alibi excoquitur, non lactescat: vide §. *60. cap. 1.*

§. LXXIX.

Nitri calcarii in residuo post evaporationem aquæ fontis nostri manifesta vestigia percipiuntur, nam sal ejus impurus gustui lenem frigoris sensum inducit, nonnihil acre, sed omni caret adstrictione, super prunas spumat, & in corpus leve, spongiosum, albúmque mutatur *cap. 2.* §. *72.* In crystallos tamen illum redigere ob materiæ paucitatem, & temporis penuriam non poteram.

§. LXXX.

Non æquè certa nitri phlogisti est ratio; nam quamvis à depuratis balnei reliquiis flammam velocem, lucidam, leniter stridentem, verbo nitrosam super carbones vivos binis vicibus accendi observârim: metuo tamen, ne aliqua nitri particula aliunde irrepserit, præsertim quia non procul à crystallis nitri eas domi meæ locari contigit. Deinde auget suspicionem, quod aliud residuum, quod è fonte immediatè extraxi nullam nitri phlogisti pathognomonicam notam

tam

tam habuit, cùm tamen hic potior ſit cauſa: ſiquidem ea nitri phlogiſti eſt natura, ut quò magis corporibus terreis diffuſum ſit, majoríque igne urgeatur, eò citiùs avolet. Quare in deſtillatione ſpiritus ſemper duplum, aut triplum boli additur. Jam verò, & cacabi, & tripodis (§. 72. *cap.* 2.) immediatus ignis, quo balneum coquebatur, & evaporabatur, multò vehementior eſt, quàm ille, quo in decoquenda per vitrum lati orificii fontana uſus ſum. Igitur hìc non æquè facilè nitrum evaneſcere debuiſſet. Accedit, quod antecedenti evaporato plus terrearum particularum inſit, quàm poſteriori ex §. 72. *cap.* 2. quapropter vis nitri disunita citiùs expelli potuit. Sed utinam experimenta hæc repetere licuiſſet! non opus tam longo, támque difficili diſcurſu haberemus.

§. LXXXI.

Dices, ſaltem ſal commune inter principia balnei noſtri numerari meretur; quia minimæ quædam particulæ in depurato balnei reſiduo (*Cap.* 2. §. 72.) ſalire videbantur, quod ſali vulgari eſt proprium: ſed *reſpondeo*, quod ſaltus iſte non cum crepitatione fuerat, conſequenter potiùs à nitro calcario diſunito deſumi debet, mollecularum enim parvitas, & terræ bolaris quantitas impedivit vim, qua ſe aliàs in bullulas erigere ſolet.

§. LXXXII.

Fundamentum propter quod balneator antimonium in aquis noſtris ſtatuat, micantes ſunt particulæ in lapide (*Cap.* 2. §. 63.) & fæcibus (§. 64. *Cap.* 2.) & aquarum ſordibus (§. 65. *Cap.* 2.) aſt quàm difficile de hiſce ferre ſit judicium, ex ſequentibus patebit, primò antimonium in igne forti funditur in vitrum. Dein ſi crudum in aquam regis injicitur, ſolvitur, & ſtramineum ob ſal commune induit colorem, ut jam olim *Poterius* etiam *pharmac. ſpagyr. lib* 3. *ſect.* 6. *pag. m.* 551. agnovit: ſed particulæ hæ micantes, & in igne for-

nacis

nacis figulini (§. *63. & 64. cap. 2.*) & in aqua regis immutatæ ſplendorem conſervant.

§. LXXXIII.

Sed forte quis *Bismuthum, zincum, galenam, glaciem Mariæ, cryſtallum, vitrum, alumen plumeum*, aut *talcum* ex noſtrarum ſplendore particularum conjiciet. Verùm & in his ubique nodum inveniet gordium: quoniam *bismuthum* acidis in liquoribus nigricat, ſolvitur, & totum fere in fumum abit. *Galena* præterea nigredine manus inficit. *Zincum* carbonibus vivis injectum avolat, & flammam purpureo-auream exhibet *König R. M. ſect. 2. cap. 16. num. 6.* metallorum omnes mineræ aquis ſtygiis cedunt: contra ſplendor minutiarum noſtrarum. *Glacies Mariæ, cryſtallus*, & *vitrum* pellucent: at argenteus, & opacus ſplendor noſter eſt. *Alumen, ſeu lapis plumeus* amyantho cognatus, eſt ſpecies diſtincta ab alumine ſciſſili plumoſo, quoniam hoc adſtringit, lapis plumeus inſipidus eſt, & erroneè in officinis ſeplaſiariorum noſtrorum cum priori confunditur: ſed tamen minutiis noſtris non accommodatur, quoniam ille in mera, tenuiſſimáque filamenta diſpeſcitur: hæ aut lamellæ ſunt, aut punctula (§. *64. cap. 2.*) Denique talcum, & viſu, & tactu pingueſcit, aridæ, exſuccæque minutiæ noſtræ ſunt; *neque dicas*, pinguedinem aquis dilui; non enim competens eſt menſtruum.

§. LXXXIV.

Ad ſummas has anguſtias redactus, quid de his ſplendentibus particulis ſtatuam, neſcio: ad nullum enim ex antecedentibus propriè reduci poſſunt. Si tamen ſuſpicioni locus eſt, eas talcoſi eſſe generis credo, non quidem puri, ſed cum alio corpore v. g. cryſtallô montanâ &c. à natura ludente commixti. Ita enim omnibus ſatisfit phænomenis, perſeverat in igne mediocri, qualis noſter fuit, ſplendor, aquis ſtygiis non ſolvitur, pinguedo talci diluta argenteum

ſparget

ſparget colorem, & figuram particulæ ſortiuntur lamellatam prorſus, ut in experimentis noſtris *cap. 2. Sect. 1. & 2.* videre eſt, ratio conſideranti talci naturam patet: præprimis ſi cryſtallus talcoſa, ſeu Islandica rhomboidalis *Erasmi Bartholini* in exemplum adducatur, quam in thermis Schintznachenſibus apud König *loc. cit. Sect. 3. Cap. 4. pag.* 218. reperire eſt.

§. LXXXV.

Quod ſulphurea fonti noſtro materies inſit: odor mane leniter ſulphureus (*Cap. 1.* §. 60.) & affuſio ſpiritûs vitrioli ſuper calcinatas fæces (*Cap. 2.* §. *64.*) manifeſta ſunt indicia: ſed ingens eſt dubium, an illud ſulphur per venam in fontem cum aqua influat, an adventitium ſit. Mihi poſterius placet: puto enim ex fæcibus in fontem operculô (§. 55. *Cap. 1.*) non munitum decidentibus, & martialibus anſarum ramentis, contribuente ſymbolum ſale, & terrâ calcariâ generari; quippe fieri non poteſt, ut ex diverſiſſimarum hæterogeneitate particularum cloaca non generetur, cumprimis ſi ſimul mars cum tartareis partibus jungitur, quas ultimas quilibet perfacilè admiſerit, ſi naturam loci conſideraverit: vineis enim vicinia gaudet, foliorum, ſarmentorúmque minutiæ, per ventos raptæ, nonnunquam in fontem decidunt, ſolvuntur, in ferrum non minùs cum ſulphureo odore agunt, ac ſi tartaro ſoluto, martem injeceris ad mentem *Wedelii pharm. in artis formam redact. lib. 2. ſect. 6. num. 4.*

§. LXXXVI.

Quæres: unde fæces in fundo nigrum ſortiantur colorem. *Dico* duas eſſe cauſas: *Prima* Puteariorum conſtans eſt relatio, puteos omnes, qui operculô carent, diúque purgati non ſunt, fæces nigras, & fætentes habere propter mephitim in fundum deſidentem, putrentémque, ùt in vicinô ſtatim balneatoris ædibus puteô videre eſt. *Secunda*,

quod diuturnâ morâ, non ſolùm ex coronâ quercinâ, quæ fundum ambit (*Cap. 1.* §. *58.*) ſed etiam ex vaſis ferreis puteum firmantibus, aqua ſenſim partes quasdam, inſtar vitrioli, extrahit, quæ gravitate ſua in fundum decidentes, nigredinem, ſicut in atramento cernimus, efficiunt. *Dices* nigredo iſta potiùs à marte, quem *Aqua* noſtra ſecum vehere videtur, deſumenda eſt: hoc docet, præter magnetem in fæcibus calcinatis, *Cap. 2.* §. *64.* ipſe muccaginis variegatus color, (*Cap. 1.* §. *57.* ſimilis prorſus ei, quem à vitriolo martis (*Sect.* 1. *cap. 2.* §. *1. num. 1.*) obſervavimus. *at contrarium* ſuadet ipſa mucaginis anathomia (*Cap. 2.* §. *65.*) color enim iſte à clavis ferreis, queis latera putei firmantur, deduci poteſt: & aliunde infirma valde in rebus naturalibus ſunt argumenta, quæ à coloribus petuntur: ſecus crocus eſſet aurum, & adamas glacies. Quod autem magnes è fæcibus (§ *63. Cap. 2.*) attrahit, pro ramentis ferri in puteum deciduis habendum cenſeo.

§. LXXXVII.

De ſpiritu aquarum noſtrarum nihil aſſerere audeo, niſi forte vapores illos, qui hyberno tempore elevantur, & à quibus, ſecundùm *Liſterum de fontibus Medicis Angliæ Cap. 9.* §. *2.* tunc temporis aquæ intepeſcunt, hoc nomine dones: at proprietas hæc reliquis, & ordinariis bonæ notæ aquis communis eſt. *Quæres:* fors bullulæ illæ, quæ (*Cap. 1.* §. *57.*) è fundo putei elevantur, à ſpiritu minerali dependent, ſicut illæ, quas ex commixtione diverſorum cum aqua fontis liquotum (*Cap. 2.* §. 70.) oriri vidimus? *Reſpondeo*, diverſam quò ad modum agendi eſſe cauſam: *priores* nihil ſunt præter aëris glomulos, qui dum aquarum in puteo mole lineâ gravitationis deorſum premuntur, ob innatam levitatem tam diu ſurſum extruduntur, donec ad æquilibrium cum aëre externo pertingant: aër autem ad fundum putei vel unà cum aqua per venam ex ſubterraneis

cry-

cryptis advenit, vel potiſſimùm cum terreis viarum ſordibus à ventis (*Cap. 1.* §. *55.*) eò delatis, puteo communicatur; latet enim in eorum poris, donec aqua in vices ſubſtituta, illum foras expellat. *Poſteriorum* verò bullularum geneſis partim cauſæ antecedenti, partim elaſticitati liquorum, & rarefactioni debetur.

§. LXXXVIII.

Concludimus ergo aquas Pirenwartenſes ingredi copioſam terram bolarem albam, modicum nitri calcarii, ſulphur vix perceptibile, & adventitium, nec non aërem elaſticum: Talcoſum verò genus, quod (*Cap.* 3. §. 84.) conſpeximus, magis inter fæcum, quàm aquarum conſtitutiva numerari meretur: nam ob fixitatem ſuam, propter quam in calcinatione (§. 63. *&* 64. *Cap.* 2.) remanet, ordinariè in fundum deſcendit: nihilominus: qui contrariam ſententiam de hoc amplecti velit, ei, ſaltem in aqua Altenburgenſi, & pauciſſima quantitate, pertinaciter non refragabor: ſiquidem illius evaporatum (*Sect. 1. Cap. 2.* §. *12.*) ſplendicat: ſecus aquæ Pirenwartenſis.

§. LXXXIX.

Cognitis principiis ſponte ſua agendi in corpus humanum modus reſultat: *terra* abſorbet, tenuem ſanguinem inviſcat, ebullitiones nimias temperat, humiditates exſiccat, & tonum labefactari non ſinit: niſi ab acrimonia nimiùm ſtrictus ſit: tunc enim ſublato acore relaxat. *Nitrum calcarium* leniter refrigerat, & immodicas cutis ſordes abſtergit, ut patulis poris inſenſibilis augeatur tranſpiratio. *Sulphur* perpetuum balneo non eſt, unde nulla inde firmiter actio deduci poteſt; *aër* elaſticus eſt, *aquæ* vim penetrandi auget; unde fit, ut minimos permeet tubulos, ſanguinem diluat, fluxiorem reddat, fibrarum ſtrictarum impulſui, motûs augmentô, reſiſtat, & tonum in æquilibrium deducat. *Talci* denique genus in vaſorum oſcula

ſe intrudit: nimiæ fibrarum oſcillationi, ob texturam ſuam difficulter mutabilem, reſiſtit. Unde ſtricturis ſolutis major, vel minor humorum fit appulſus pro ſubjecti &c. diverſitate. vide König. *R. m. Sect. 3. Cap. 10. num. 12.*

§. XC.

Adhibendi modus vel *internus* eſt, vel *externus*. *Hic* frequentior eſt, & cum Altenburgenſi *Sect. 1. Cap. 3.* §. *39.* fere convenit. Conferatur etiam (§. 49. *Cap. 4. ille*, tum *irregulariter* in culinis, & potu incolarum ordinariô uſuvenit: cùm *regulariter* ſive medicamentosè: dum tres, quatuor vel quinque &c. libræ prout robur ventriculi ſuffert; in cholericis, ſanguineis, & juvenibus, matutinô, & æſtivô tempore plerumque frigidè in iis, quorum alvus adſtricta eſt, aſſumuntur: alioquin dum nervoſum præprimis patitur genus leniter tepefieri poſſunt v. g. vitrum balneo Mariæ immergendo: frigus enim inimicum oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ *Hipp. Sect. 5. aphor. 18.*

§. XCI.

Antequam potus inchoëtur, cacochymiæ, vel plethoræ, ùt artis eſt, proſpici debet. Deinde præſcripta aquæ quantitas, per vices ita aſſumenda eſt, ur doſis intra bihorium circiter exhauriatur: ſubitanea enim, & velox potatio naturæ vim excedit, & ventriculum enervat; tarda nimis prioris virtutem exſpirare ſinit, priusquam poſterioris inchoet operatio: illud etiam obſervari velim, ne in principio confeſtim curationis ſumma ebibatur copia, à minori ad majorem lentè feſtina, oportet ad inſueta permutari; quoniam omne nimium eſt naturæ inimicum, ſed quod paulatim fit, tutum eſt, tum aliàs, tum, cùm ab altero ad alterum tranſitus fit. *Hipp. Sect. 2. Aph. 40. & 51. Neque dicas*, modici nullam eſſe vim. Etenim inter utrumque extremum ſubſiſtendum eſt, morbo, & naturæ &c. convenienter bibe, ne in principio ſtatim rerum

corpus

corpus gravetur. Si alvus non ſecedat, magneſiam nitri omnium optimè addideris, ſi ſtimulô indiges, ſal anglicum, vel Sedlicenſe tibi præſtò ſit, ſi per alias vias aqua ſe diffundat, prudens Medicus naturæ motus providè obſervabit.

§. XCII.

Poſt potum in robuſtioribus lenis ambulatio præſtat; ut concuſſæ leniter fibræ aquas per tubulos undulare juvent, nòn ſtringant: abſit, ut immoderatiùs ad ſudorem usque excurras. At debiliores, & queis frigus obeſt, in lecto inſenſibilem paululum tranſpirationem præſtolentur, ut apertis meatibus in fibras liberè effluat, non reſtagnet potus. Quot diebus aquæ noſtræ potari debeant, expertus Medicus cognita patientis indole, ex coindicantibus, & indicantibus ordinabit, ſymptomatíſque fortè evenientibus occurret. Cæteroquin diæta eadem, ac in acidulis ſolet præſcribi, & univerſa curatio lenienti quodam evacuante, terminari debet.

CAPUT QUARTUM.

Siſtit Uſum, & Abuſum Balnei Byrenwartenſis.

§. XCIII.

Acrimonia humorum triplicem fibrarum in corpore producit ſtatum: nimirum per irritationem primùm in ſpaſmos, & dolores aguntur, deinde ſi paulò diutiùs ſtimulus perdurat: obfirmatis quodammodo doloribus ſenſim, ſenſímque debilitari incipiunt, id eſt, dum in una parte ſtrictura tantas radices egit, ut quaſi invincibilis ſaltem ordinariis ſit remediis, in altera parte inchoat relaxatio fibrarum eadem proportione augeri, quæ tandem diuturnitate, & magnitudine cauſæ ita accreſcit, ùt totaliter cum atonia fatiſcant. Qui cónſtitutiva aquarum noſtrarum ad ſecun-

dam fibrarum classem accommodaverit, ex nostra sententia faciet, præprimis, si subjectum macrum potiùs (quàm obesum) calidum, cibis aromaticis, vinis spirituosis, excessivis tum corporis, cùm animi motibus iræ, veneríque deditum sit: quippe acrimonia aquis diluitur, & à terra calcaria absorbetur, fibræ tum ab hac, cùm etiam à nitri calcarii stimulo roborantur: se- & excretiones promoventur.

§. XCIV.

Si aquas has matutino tempore potaveris, purgant partim ratione frigoris densando poros cutis, ut sudore præpedito, alia substituatur evacuatio, partim ratione terræ calcariæ, ad instar magnesiæ nitri. Si balneaveris pro subjecti dispositione diversimodè agunt: nam si v.g. menses nimìs à spastica debilitate fluxerint, sistit, si impediti fuerint, reserat: idem de cæteris esto judicium. Per cutis nihilominùs poros magnam aliquando materiæ quantitatem evacuare solet: ita enim quæ morbô regiô laborant, lintea sua in balneo flavedine tingunt. In aliis econtra macris, & valetudinariis nonnunquam rubro colore infici indusia cernuntur, quemadmodum hôc annô in tribus mulieribus observatum est, quorum una erat Judæa, altera mercatoris cujusdam Viennensis uxor, tertia nobilissima quædam matrona, quæ elapsa hyeme abortum passa est.

§. XCV.

Quicunque morbi igitur ex dictarum causarum incunabulis pullulant, aquis nostris profligantur: propterea in ophtalmia diuturna, rubore oculorum, tinnitu aurium, cruditate nidorosa, ictero à spasmo, atrophia incipiente, hæmorrhoidibus nimiis, in catarrhis etiam tenuibus cum compressione pectoris, & suffocatione summopere lavari conducit. Siquidem aquis nostris propter terram bolarem speciale est, ut quisquis his utitur, fere redintegratô tonô faciliorem anacatharsim acquirat.

§. XCVI.

§. XCVI.

Recentiora exempla uſum hujus balnei comprobant, primò in contracturâ (ſi necdum atrophia artus corrupit) ſive oriatur à potu vini nimio, ſive irâ, ſeu colicæ, ſeu rheumatiſmo ſuccedat. Fæmina paupercula macra, tota contracta, apparentibus magnis in juncturis tumoribus: & nobilis quidam ſenex ex Polonia redux, macer, & longæ ſtaturæ, in via omnibus artubus captus eſt, ambo tamen ita reſtituti, ut grollos ibidem reliquerint. Poſtremus octo per diem horis balneavit. Juvenis ſtabuli præfectus, temperamenti ſanguinei, nec juſculum ipſe capere potuit. Poſtquam decies circiter balneavit, reſtitui cæpit: id ipſum etiam in viro monaſtico ſexagenario diuturniore nuper uſu viſum eſt. Aſt, ne quis indiſcretim podagricus balneet, moneo, augetur enim ſæpiùs dolor, præſertim ſi frigidus fuerit morbus; quia deficiente mineralium ſpiritu, nulla, aut ſaltem vix efficax è tunica tendinum vaginali diſcuſſio, aut reſolutio materiæ tantopere coagulatæ, fieri poteſt: hinc falſi ſunt illi balneatoris verſus:

Das Baad vertreibt das Podagrab
Darob ſich mancher verwundern mag /
Dann es vertreibt den Blut-Stein
So ſich von Flüſſen ſetzet ein /
Sich auch darinn coagulirt
Daraus ein kleines Steindlein wird /
Von Baad ſo bricht die Haut dann auf
So flieſſt ein weiſſer Kalch daraus.

nam licet poſtremi quidem duo verſus quandoque verificari poſſint: non tamen vis ſpecialis balnei eſt, ſed omnibus aquis fontanis, & emollientibus communis.

§. XCVII.

Neminem facilè ex incolis Byrenwartenſibus hydropicum fieri perhibetur: quare etiam in hoc quidam morbo dilau-

laudant: ego verò quamvis ædemata, immò & tympanitidem incipientem taliter quandoque curari credam: non tamen ascitem; etenim quemadmodum in hoc summa viscerum labes, humorúmque polyposa spissitudo in vena portæ, vix à crassitie calcariæ terræ corrigi potest: ita labefactatæ in tympanitidis principio fibræ, & roborantur, & acrimoniâ absorptâ spasmi cessant: ædemata verò hôc pactô, restitutô lymphæ circulô, sponte evanescunt. Sunt etiam nonnulli, qui in actuali febrium intermittentium paroxysmo, & scyrrhis commendant: ast nosco virum robustum, qui in quartanæ diuturnæ paroxysmo idipsum tentavit, sed convulsus desuper vix semivivus ex aquis extractus est: concesserim quidem in tertianis vernalibus exquisitis extra paroxysmum, quin & in paroxysmo circa finem nonnunquam prodesse: sed, ubi inveteratas radices febres autumnales egerint, si materiam aliunde in paroxysmo efferatam, & incoctam præcipuè per sudores mediantibus balneis movere vis, sexcenta mala produces.

§. XCVIII.

In nephritide etiam, & calculo commendatur; urinæ enim fluxum cum hypostasi sabulosa modò rubrâ, modò alba concitat: sic lanio quidam Melancholicus, qui ita lumborum dolore nephritico excruciabatur, ut nullatenus se erigere valuerit, opem recepit, & vinicola quidam ex Gaunerstorff constitutionis mediocris quatuor ante annos in ipso balneo calculum per urinam emisit: quapropter in gravidis ob hanc ipsam sive pellentem, sive emollientem, sive tonicam vim appellaveris, per me licet, ordinariè prohibetur nostrum balneum: rustica quædam nesciens se esse gravidam, gravissimis internis doloribus divexabatur, putabat se gangræna laborare: hæc donec erat in balneo nullum sensit cruciatum; ideo tota die insidere desideravit, postquam au-

tem

tem ſexies balneâſſet, filium enixa eſt, qui quidem brevi periit, aſt illa ſanitatem ex integro recuperavit.

§. XCIX.

Præ cæteris Auſtriæ balneis noſtrum meritò parthenum dici meretur: plures enim fæminæ, quàm viri, & ſanè non illecebrarum, ùt Badæ, ſed ſalutis recuperandæ causâ balneare ſolent: ſæpiùs fluorem album in iis, quæ veneri nimiùm indulgent, utplurimùm autem excedentem menſium fluxum ſiſtit, atque ſterilitati cumprimis dicatum eſſe cenſetur: Illuſtriſſima, & magni nominis comitiſſa ſtaturæ longæ, & macra per jocum dicere amat, metuere ſibi ab iſtis aquis, ſiquidem experimentô didicit, quot annis hìc balneat, totidem vicibus imprægnari. Rurſus alia dudum prolem non habuit, tandem concepit, ſed mortuum cum partu ſummè laborioſo enixa eſt fætum, verùm poſtquam noſtrô ſe abluit balneô, ſubitò & prægnans, & facilè mater evaſit. Adeò nimirum Lucina vico Byrenwartenſi propitia eſt, ut quamvis obſtetrices, & imperitas, & inexpertas habeat, nullam tamen fere ibidem inveni fæminam, quamdiu ſenes memorant, quæ difficulter peperiſſet: multa valde proles eſt, ruſticorum quidam uxores ſuas à fontis potu, & balneô ſtudiosè arcent; quia ob natorum multitudinem novam, ſtulta perſuaſione, ingravidationem metuunt. Annô præteritô quinquaginta quinque oppidanorum mortui minùs, quàm infantes baptizmate initiati ſunt, inter quos ſex erant paria gemellorum, & magna maſculorum copia.

§. C.

In morbis externis ſcabie ſicca, & ulceribus exedentibus ſiccis, & inflammatoriis optimum eſſe dicitur: ita modernus balneator vetulam Gaunerſtorffenſem macram, & ita fœdè exulceratam, quaſi à canibus dilaniata fuiſſet, ſine ullo emplaſtro &c. ſolô balneô, & linteîs, hâc aquâ madentibus, deſuper impoſitis, curavit: item piſtor quidam

H de

de Schönkirchen robuſtus, & juvenis triginta duorum annorum, copioſis nigris bullulis conflictabatur: hæ pruriebant admodùm, quas ſi fricuit, ſanguis ſtillavit, ulcus accrevit, nihilominùs aquis noſtris ſanus evaſit. Sunt nempe vulnerarium inſigne partim, quod leniter adſtringant, partim, quòd ichorem temperent, partim quod ſordes eluant, non tamen in animum inducere meum poſſum, quòd in eryſipelate etiam, ùt quorundam mens eſt, ſine ulla circumſpectione tutò adhiberi poſſint: datô, quòd terra calcaria proſit, non tamen æquè in aqua, ſicut creta colonienſis in forma ſicca aptum eſt remedium, non tamen aquâ fontis humectâ; ſane periculo ſe exponunt ægri, ne dum è balneo egrediuntur, pars affecta perfrigeretur, & periculoſiùs inflammetur.

§. CI.

Nullus paralyticus, nullus etiam, qui diarrhæa, vel pthiſi laborat, in aquis noſtris hactenus balneare conſuevit: in paralyſi quippe cauſa profundiùs hæret in nervis, quorum fibræ compactiſſimæ à nullo balnei noſtri principio pro neceſſitate ſatis reſerari poſſunt: nimirum omnia craſſiora ſunt, ſpirituoſo carent impetu, & quamvis à calore adjuvantur, non tamen fortiter relaxatum tonum in priſtinum ſtatum reducere queunt. In diarrhæa chronica; & idiopathica dummodo per vires licet, & fibræ non nimiùm collapſæ ſint, non video, cur non prodeſſet aqua noſtra, ſaltem ſi pro potu ordinario, non perfrigida, & poſt ſumptum cibum uſurpetur; abſtergit enim, diluit, & ſucceſſivè roborat. Tandem in pthiſi etiam balneare nocet ſive ideo, quod adſtrictis nonnihil fibris, ſudore ſymptomaticè retento ad hydrorem diſponat; ſive quod ſpirituum aliunde paucorum diſſipationem ratione caloris præſertim ſolitò majoris, & ſyncopen procuret.

§. CII.

§. CII.

Egregius profectò usus balnei hujus est, & suo modo tutus adeó, ut nullus memoretur ex hoc mortuus fuisse: meritó ergo pientissimæ memoriæ Augustissimus Imperator Leopoldus Magnus, & cætera Augustissimæ Domûs Austriacæ diademate ornata capita propriis in se experimentis, vires ejus gratiosissimè confirmare voluerunt: interea tamen regimen exactum requiritur: quidam singulis diebus, antequam balneant, medicinam sumunt. Ego potiùs observo, quò natura vergat, & quid sola ferre possit, quidve recuset, atque deinde indicationes efformo. Illi qui debilioris sunt stomachi, non profundè nimis balneent, potiùs semicupium sibi parari sinant: aut saltem priusquam ingrediuntur solium, chocolatâ, jusculis &c. pro ratione temperamenti, ætatis &c. diversimodè ventriculum confortent. Post balneum verò in quibusdam appetitus redit, in aliis sitis urget, in plerisque in somnum est propensio, propterea in lecto sudor statim lenis procuretur, & cætera, sicut *Sect. 1. Cap. 4.* §. *54.* probè observentur.

§. CIII.

Magnus in balneo humorum motus à centro versùs peripheriam concitari solet: sacerdos quidam in ipso balneo variolas salubriter acquisivit, communiter verò exanthemata quædam ex iisdem causis, & cum iis ipsis symptomatis, & curandi modò ac *Sect. 1. Cap. 4.* §. *53.* efflorescunt: sunt quasi phlyctenæ minimæ, & rubræ, cutímque non exedentes, extremitates maximè, & confertim occupant, rariùs scapulas, rarissimè pectus; nam chylus crudus in sanguinem raptus faciliùs (ob minorem circulationis impetum) in partibus remotioribus à corde stagnat, quàm proximis. Deinde verò sæpe intra quinque dies cum disquammatione cutis abeunt.

§. CIV.

Tandem crusta alba balnei nostri in ulceribus equorum à militibus, qui securitati publicæ in sylvâ ad Hohenleithen invigilant, cum fructu adhibetur. Inservit etiam argenteis maximè vasis à sordibus mundandis, si in pulverem teratur, immò pulveres dentifricios pari jure, ac tophus Carolinus ingredi posset.

APPENDIX.

De Balneo Aquæ Danubiensis.

§. CV.

DAnubius in Don Eschingen decem milliaribus trans Ulmam liberam Imperii Urbem scaturit: Comites de Fürstenberg, & Heilligenberg (è quorum Illustrissimâ modò Familiâ Serenissimus S. R. I. Princeps, ac Dominus Dominus Frobenius Ferdinandus Landgravius in Stülingen, ac Baar, Aurei Velleris Eques &c. &c. Comitiis Ratisbonensibus Commissarius Principalis Cæsareus quàm sæpientissimè præest) arce circumdederunt fontem, cujus longitudo juxta *Cluverium* 26. latitudo 18. pedes adæquat: *Tacitus* originem Danubii ponit in vicino colle, quem Abnobam vocat, exiguus in principio amnis, at auctus influentibus sensim aquis ad Ulmam ratibus subdit tergora, per Sueviam, Bavariam, Austriámque, ubi in vicinâ Exempto Monasterio Mellicensi (cujus dignissimus nunc temporis Abbas existit Excellentissimus, ac Reverendissimus Dominus Dominus Bertholdus I. Inclyti Statûs D. D. Prælatorum Præses, & Inferioris Austriæ Primas, nec non S. C. Reg. Cathol. Majest. Consiliarius Intimus Actualis &c. &c.) insulâ aureo dives est sabulo: in Hungariam Taurunum usque, ibidem Istri nomen sortitus, amœnissimis spectabilis insulis progreditur, abhinc Serviam, Bulgariam, & Moldaviam percurrit, & tandem confectis 300. milliaribus in Pontum Euxinum sese præcipi-

cipitat, solúsque hac prærogativâ gaudet, quod orienti soli in amplexus quasi occurrat.

§. CVI.

Varia in Danubium flumina cursum dirigunt, quorum majora nonnulli sexaginta numerant, ab his ejus aquarum energia maximè dependet: hinc non credo eandem ubique esse, aliter ad Ulmam, aliter ad Bellogradum est: ego solùm de eo agam, qui proximus Viennam alluit, & ad Nusdorff à communi alveo resectus, in hoc, quod ad mænia cernimus, brachium, insigni nautarum bono porrigitur. Continuo virore turbidus tacidè, sed Rheno multò velociùs undulat, & adversis fortiter renititur navigiis. Quam mephitim, quásque cloacas imbibat: cujusvis, qui ripas lustrare cupit, oculis, naribúsque innotescit: commune urbanarum sordium est receptaculum.

§. CVII.

Nihilominùs pro sordium magnitudine non tantam heterogeneorum corporum secumvehit copiam. Quinque libras aquæ tempore sereno collegi, igne lento, & vase vitreo evaporavi, at grana septem tantùm ponderavit residuum multis quasi lanæ carptæ filis onustam, saporis salsi, & naturæ alkalinæ. Hoc rursus aqua solvi, & in filtro grana quinque materiæ insipidæ, & cum aqua forti ebullientis mansêre. Solutionem denuò evaporavi, & tantillum nitri calcarii adeptus sum, quod ex spuma super prunam, & leni in lingua frigoris sensu colligere licuit.

§. CVIII.

Sed ut clariùs in principiorum cognitionem pervenirem, arenam in locis Wechsel ꝛc. & vicinis, ex Danubio hausi, fusca est, & subtilissima, albis intermicantibus lamellis, quales §. 84. vidimus, hanc partim igne forti calcinavi, sed inde magnes nihil attraxit, partim aqua forti, & Regiâ solvi, utraque solutio flavescebat: priorem in tres partes

 divisi

divisi, in unam cuprum injeci, quod succeſſivè ſolvebatur, & ſplendorem ſuum cum fuſcedine quadam ad nigrum vergente colorem commutavit. Alteram marte ſaturavi, ſed nulla Venus decidit. Tertiam oleo tartari præcipitari cum albis flocculis. In poſteriorem pariter oleum tartari infudi, ſed nulla ſigna §. 25. auri fulminantis apparebant. Hinc ſolùm talciformis illa ſpecies §. 84. & tantillum lunæ §. 26. hac in arena latitavit.

§. CIX.

At aliis in locis multò plurjbus, iisque nobiliſſimis mineris, ùt auro, marte, & cæteris dives eſt arena: quarum aliquas nuper ex ſingulari gratia mihi videre licuit. Prima metallica erat congeries poſt extractionem auri per mercurium relicta, hæc gravis eſt, & minimas continet particulas diſſeminatis albi, & vividi ſplendoris copioſiſſimis punctulis. Cum aqua forti ſenſibiliter non fermentat, ſed tamen durante affuſione in vitro anguſti colli levem fumum emiſit, nihilominùs poſtquam cum oleo tartari præcipitabatur, Mars decidit. Secunda erat Mars beneficio magnetis ſine ullâ præviâ uſtione extractus. Tertia Mars ignem expertus, uterque horum amœniſſimo ſpectaculo affatim magneti adhæſit, quarta tandem eandem cum prima faciem præſetulit, niſi quod neque tantùm Martis contineret, neque affusâ aquâ forti fumaret.

§. CX.

Cæteroquin aqua æſtate calida, hyeme frigida eſt, & glacie ita duratur, ut plauſtra ſuſtentet: vere ſylvæ, & prata nullibi citiùs, amæniúsque virent, quàm ad danubii ripas, atque ſi piſces ſpectas, alibi huſones proprium fluvio genus, alibi carpiones invenies tantæ nobilitatis, ut omnibus, qui ex Bohemiæ piſcinis ad nos deportantur, bonitate præſtent: quin etiam tum in culinis magno eſt uſui ad coquenda legumina, & carnes duriores, cùm in lavandis linteis ſaponem citò ſolvit, ſordes mundat, ſed non ſemper æquè dealbat.

§. CXI.

§. CXI.

Sapor in aqua nullus eſt; gravitas, quanta Areometrum in octavum gradum demergi ſinit. Præcipitantia, & reliqua, quæ aquis permiſceri ſolent, plerumqne nihil immutant, tales ſunt gallæ turcicæ, vitriolum martis, mercurius ſublimatus, oleum tartari per deliquium, ſpiritus ſalis armoniaci, aqua calcis, ſyrupus violarum, & acidi ſpiritus, quibus *Cap.* 2. *Sect.* 1. *&* 2. uſi ſumus, ſolummodô à ſolutione lunæ leviter, & à ſaccharo ſaturni multùm lacteſcebat.

§. CXII.

Ergo potiſſima vis medica danubii conſiſtit in ſimplicitate *aquei elementi*, deinde *in terra alkalina*, tandem in nitrô calcariô quæ propter mutatas caloris, frigoris, & cæteras qualitates ſæpe diverſa eſt: *primariò*: tamen humoribus fluxilitatem conciliat, *ſecundò*: poſt balneum relaxat, & turgidulum reddit corpus, *tertiò*: in balneo ſolida premit *ex Sect.* 2. *cap.* 3. §. 87. *Quartò*: ſi calor accedit, penetrat, & rarefacit, ita, ut pulſus creſcat, facies rubeat, & propterea cavendum, ne caleat nimis aqua: aliàs ſanguis expanſus præcordiorum generat anguſtias, & animi defectionem, *quintò* demum terra calcaria abſorbet, ſal abſtergit.

§. CXIII.

Uſus *vel* quotidianus in potu, & culina eſt, univerſi enim fontes in Leopoldinâ, Roſſaviâ, apud Albicerdones, & in civitate ad turrim rubram &c. ex danubio aquam hauriunt. *Vel* qui diſſertationis hodiernæ eſt materia, uſus medicus in balneo: ſed hìc aquæ ſelectus habendus eſt, illam potiſſimùm ſuadeo, priusquam ad urbem pertingit, paucioribus utpote ſordibus fætam: ideo in Leopoldina, & Roſſavia paſſim accommoda balneis loca invenies, celeberrimus hortus ille eſt, qui ab Illuſtriſſimis Comitibus de Althan hæreditariis S.R.I. Pocillatoribus dicitur: nam apta ibi occaſio, ut ſolio inſidere, & in aquis, ſi libuerit, circumire poſſis.

§. CXIV.

Quoniam Medicus nihil facere queat, niſi proportionato naturæ motui accommodam præbeat materiam: ubicunque ea deficit, ſive acrimoniam, ſive ſtricturam, ſive ſpiſſitudinem, ſive meatuum oppletionem accuſes, per balnea aquarum dulcium, inter quas excellit noſtra danubienſis, reſarciri poteſt. Parantur autem vel ſimplicia, vel emollientibus, cephalicis &c. prout indicatio

DIVIDentI aqVas ab aqVIs
patrI,
eLVto IorDanIs eX aqVIs
fILIo,
VoLItantI sVper aqVas
spIrItVI,
pVnIentI per aqVas,

* * *

Et parCentI poenItentIVM aqVIs
VIVo, VnI, aC trIno
Deo.

PROLEGOMENA.



Uatuor milliaribus â celeberrimâ potentissimorum Imperatorum sede, Austriæ Inferioris metropoli, Viennâ, urbs, cui Baden *nomen est, ad fauces vallis, quâ ad sanctam crucem itur, meridiem versus ponitur, circa orientem in ingens spatium planities porrigitur, camporum, oppidorúmque amœnitate conspicua, ad occidentem valles habet, & præterlabentium undarum strepitu, & arcium multitudine, & ipso pratorum, sylvarúmque horrore spectabilis: dextram, sinistrámque gemini obsident montes, quorum hic virore, umbrarúmque suavitate multos ad se invitat, ille contrà vineîs quibûsdam ad pedem colitur, sed plurimus squallore, crescentium herbarum marcore, inopiâ, saxísque hæret præruptis, vel ideò gratissimus, quod deformi facie cæterorum nitorem magis, magísque in apricum deducat. Nobilem hanc civitatem præter copiosas lavandis pedibus aquas, novem publico usui constructa exornant balnea, quorum tria ipsis inclusa mœnibus superbiunt, Ducale nimirùm (*Herzog-Bad*) Divi Antonij (*Antoni-Bad*) & quod ab Illustrissimis plerumque illustre est personis, parthenæ Matris (*Frauen-Bad.*) Indè portâ cognomini (*Frauen-Thor*) urbem egressus aliud vicinum offendes (*Neu- oder Juden-Bad*) Judæis duplô concessum stipendiô, ad lapidis abhinc jactum aliud invenies (*Joseph-Bad*) & paulò post in famulorum sæpiùs usum cernes aliud (*Johannes-Bad/*) aliud â sinistris ad ripam præterfluentis, quod ex ipsius structuræ penuria, & precibus pecuniæ locò persolvendis, pauperum (*Bettler-Bad*) esse facilè cognosces. Trans flumen duo alia (*Sauer-und

Peters-Bad) äeris ſalubritate, ædium commoditate, & ſitu jucundô ſeſe apprime commendant. Qui naturam ſoli, balneorum poſitum, graveolentem vinearum quarundam â Borealibus excurrentem collibus tractum, erumpentes paſſim in hortis, domibus, & alibi ſulphurearum undarum ſcaturigines accuratiùs penſitaverit, unam omnium eſſe originem palam profitebitur. Enimverò ad balneum, quod â Ducibus nuncupavimus, privatîs urbs aperitur foribûs, inter vineta mons cryptam reſerat; putares te velut alterum Æneam in avernum â Sibyllâ deduci, portam in viva, pallentique caute invenies, limen rectangulum tuetur pediluvium, cavitas dein excipiendo apta homini quindecim paſſibus, in ampliorem, at obſcuriſſimum curvatur ſinum, & declivi ducit foramine in conſpectum crateris, quatuor pedibûs longi, latique, pleni aquâ, tanti caloris, ut, dum rei experimentum caperem, totus ſudore diffluxerim, vicinia undique peregrinis maſſarum concretionibus variegatur, ſtant exeſi ſaxorum parietes, quorum plurimos culter penetrat, omnia guttas ſtillant, madent, aër halitibûs ſuîs adeò ſuffocat, ut, dum quidam mecum ingreſſum tentaret, â tetrica hac, ſacratâque Diti regia recedere coactus fuerit. Hinc lignei ducuntur canales, quorum ſupernum latus quadrata excavant foramina, parî obturamentô contecta, ad reſerandos, ſi quando contingit obſtrui, interiores meatus: deinde excurrunt ad pediluvium, in quod per duplex è ligno epiſtomium derivatur aqua, tandem longiorî in proxima duo balnea itinere ſeſe exonerant: reliqua occultos â natura ſortiuntur cuniculos, qui variis profundè ſatis mæandris ſub terra, aquisque ipſis ſerpentes in locis, quorum memini (conſpicuô tamen magis ſalientibus è bullis, in Bettlers-Bad/ *orificiô) liberaliter promanant.*



CA-



CAPUT PRIMUM.

Conſiderat Maſſas è Cryptâ.

§. I.

DUm nuper accuratiùs Badenſium thermarum cryptam inviſerem, ſex diverſæ in ſenſus maſſæ inciderunt. Prima ab ingreſſu ſtatim, ſolo, parietibúsque adhæret, arenam inæqualiter craſſam refert: Sapor acris, & in fine cum dulcedine, inſtar vitrioli, adſtringit, nec cum ſpiritu nitri, ſulphuris, nec cum ſpiritu vitrioli, & ejus oleo fermentat, ſed ſolummodò cum oleo tartari per deliquium: Color inermi oculo eſt gryſeus, ſeu, ùt noſtrates appellant (Eßelsfarb) immixtîs corporibûs quibûsdam fuſcîs, albentibûs, flavîs, rubicundîs: collucentibúsque hinc inde tenuibûs, albidîs quaſi cryſtallîs, quæ per microſcopium examinatæ pars in priſmata exurgit, eminentibûs copioſîs ſecundùm ſuperficiei longitudinem inæqualibûs globulîs; pars ex pluribus polyedris compoſitas ſuſtinet poroſitates, & cavernulas: Pars fragmenta ſunt adeò irregularia, ut ad certas claſſes deducere laboris inutilis, & infiniti eſſe videatur. Copia earum tanta conſpicitur, ut totum præprimis ſubtiliorem pulverem nihil, præter meras, ſed nonnullas inſipidas diceres cryſtallos.

§. II. Dupliciter in naturam maſſæ hujus indagavi, igne & aquâ, ſi igni aperto injicitur, non inflammatur, ſed copioſîs bullulîs ſpumat, odorem ſulphureum intendit, & in corpus leve, poroſum, friabile, albidum, ſeu cinereum, empyrevmaticum degenerat, ſine ulla acredine adſtringendo dulceſcit, & eoſdem antehac (§. 1.) à ſuperioribus manes liquoribus perpetitur.

§. III.

§. III. At si aquâ repetitis vicibûs affusâ solutionem (quæ citò fit) instituere sit animus, post decantationes in fundo remanet arena insipida, rubescens, potissimùm albida, vel flavens, ùt ochra, cujus pars durior est, pars digitîs facilè conteritur, non minùs, ac si calcinata fuisset. Aqua decantata filtrum lutô genuinô, naturæ mediæ, sed adeò tenuî onerat, ut duplicatam emporeticam chartam permeârit. Filtratus liquor erat clarus, quem, vel prout in se est, vel per evoporationem, vel per crystallisationem etiam examinare libuit. Atque dum *primùm* diversis vitris infudi, ab injecto pulvere gallarum turcicarum, corticum granatorum, florum balaustiorum illicò violaceum & dein nigriorem, conspicuâ similî in fundo materiâ, induit colorem.

§. IV. At dum evaporabatur in vase terreo vitreato, reliquit materiam flavido-albam sat copiosam, friabilem, porosam, saporis dulcis constringentis, non nihil acris. Circa quam trifariam pariter occupabar, nam *vel rursus aquâ solvi*, filtravi, pulverem gallar. turcic. &c. injeci, & liquoris nigredo cum præcipitato dein simili, & virore diverso non nihil propter iteratam filtrationem à priori (§. 3.) phænomeno apparuit. *vel exiccatæ*, ipsos illos spiritus & olea (quos §. 1. massæ) seorsim affudi, at sine ulla fermentatione. *Vel illam* in prunam conjeci, & tales effectus gradu tamen remissô subsecuti sunt, quales (§. 2.) in massa vidimus: nisi quod hìc color purior, sapor acrior, odor autem nullus, nullàque cum oleo tartari, multo minùs cum acidis ebullitio accesserit: quæ omnia depurationi (§. 3.) deberi existimo.

§. V. Tandem filtratum liquorem lege artis evaporavi, donec satis crassam aquisivit consistentiam & difficulter quidem, sed concrevit tamen in salinas crystallos, in ore diffluentes, remanentibûs in ijs, quæ unicâ parabantur filtratione, quibûsdam super linguam feculentiîs, quæ si major repetitô fiat labore puritas, non ampliùs in linquâ, sed in filtro restant, ex cæruleo albicant, insipidæ, & instar subtilioris rasuræ ossium (dùm digitîs leviter premuntur) tactum afficiunt, figurâ non multùm abludunt ab iis corpusculis, quæ in spiritu aluminis longâ ætate evanidò per agitationem volitare conspiciuntur. Ast crystalli ipsæ in gustu primùm lenem frigoris exprimunt sensum, deinde, postquam plures sæpiùs exploraveris, cum mordicatione manifesta quasi urunt, & circa finem cum levi, & ingrata dulcedine, vix non stomachum evertente, & quâdam vix perceptibilî adstrictionis notâ amaricant.

§. VI. Crystalli hæ inermî oculô videntur prismaticæ (vide §. 1. oblongæ, tenues, & ut plurimùm (si simplices sunt) æqualiter crassæ, extensîs secundùm longitudinem quatuor, quinque, vel sex angulîs, consequenter & totidem hedrîs, quæ per microscopium spectata

tatæ quandoque eminentiîs, quandoque punctîs, & ſpatiolîs inſtar argenti, albicantibûs, lineîſque longitudinalibûs notatæ apparent: hedrarum duæ quæquæ adverſæ in quadrangulis parallelæ, & undique æquales excurrunt, & in petagonis & hexagonis, quamvis aliquando parallelismum ſervent, longitudinem tamen vel latitudinem quandoque immutant. Extremitates cryſtallorum difficillimè ob pelluciditatem & ſubtilitatem ſuam atque rariſſimè ambæ (quia una ſui plerumque in cryſtalliſatione accreſcunt) conſpici queunt: quantum verò obſervare potui in obtuſam & ſæpiùs ſuper una recta pendentem terminantur pyramidem, quam aliquando quinque, quatuor, tria, aut etiam duo quaſi incurva planula diverſæ magnitudinis, & figuræ v. g. trigonæ, rhomboidis &c. conſtituunt. Differunt hæ cryſtalli â nitroſis vulgaribus, partim, quod nitroſæ tenuiores, albiores, difficulter ſint ſolubiles, & pluribus magiſque conſpicuis longitudinalibus lineis diſtinctas hedras habent: noſtræ verò ſunt duplô craſſiores, pellucidiores, citò ſolvuntur, & obſcuriores continent lineolas.

§. VII. Poſt ſecundam filtrationem non modò cryſtallos puriores ex (§. 5.) ſed etiam longiores, pulchrioréſque obtinui, quas vel ſiccas, vel rurſus ſolutas illi terno ferè, cui materiam evaporatam (§. 4.) examini ſubjeci, & eadem quidem ſed multò elegantiora prodierunt phænomena. Pæterea cryſtallorum ſolutioni oleum tartari per deliq. instillavi, cecidit alba in fundum materia: ſi hanc per filtrum ſeparatam exiccaveris, cum Spiritu vitrioli fervet, & injecta ſuper ardentes carbones nequaquam ſpumat.

§. VIII. Explanatîs iîs, quæ ad primam in crypta inventam materiam pertinent, ad ſecundam me converto: Hæc vivum petræ fornicem, quô crater obtegitur, largiter ornat, color in natali loco cum cygnis & nive certat, interior ſubſtantia rariùs paucâ nigredine conſpergitur, exteriùs ſulphuream (ſi nudô deceptus crederes oculô) flavedinem per exigua invenies diſſeminatam ſpatiola, quæ, dum domi à me diutiùs maſſa ſervaretur, augeri non nihil apparuerunt: Tota ſuperficies irregularis eſt, ex pluribus colliculis & vallibus, ſi ita appellare fas eſt, compoſita, & innumerîs, rigidîs, albo-micantibûs, tenuiſſimæ, minimæque inſtar lanuginis infixîs oppletur ſpiculîs, quæ microſcopium ferè pennata & quaſi Bellonæ aut Martis videres folium, ordine diſpoſita oſtendit. Maſſa hæc gravitate ad ſalium naturam accedit, & in ore facilè diffluit, acidum, leniterque dulcamarum, & potentiſſimè cum ſtupore dentium adſtringentem ſine odore relinquit ſaporem.

§. IX. Natura maſſæ hujus, utpote per olei tartari deliquati affuſionem fortiter ebullientis, neque minimam mutationem ab oleo vitrioli reci-

cipientis, acidam esse facilè comperies, seu sibi relictam, seu priùs sup prunas projectam, valde spumantem, & in corpus sibi simile (nisi quo non ita splendidè albicet) degenerantem examinaveris. Quin imò, si illa aquâ solvere desideras, perages facilè, & ab immisso cortic. granat. & pulvere, eâdem facie permutari cernes, quâ (§. 3. & 4.) insinuavi.

§. X. Tertiô locô venit massa extra cryptam ex parietibus cultrô e fossa, quam probabiliter lapides exesi efficiunt, aut leviores, aut dur ores v. g. silices, ùt scintilla chalybe ex quibusdam adjacentibus excu sa testatur. Forma ejus inæqualiter eminet albo-grysea, exiguîs punct splendicans: substantia friabilis & sapor nonnunquam cum levi aco terreus est: hinc quamvis dicti lapides multùm cum acidis v.g. oleo vitri oli, Spiritu sulphuris, & imprimis cum Spiritu nitri, & aqua forti, null tenus autem cum oleo tartari per deliquium ebulliant: massa tamen ha neque cum uno, neque cum altero; ideò cavendum, ne illorum permu tatio, ùt fieri potest facilè, contingat.

§. XI. Qui aquâ destillatâ v. g. balnei nostri massam istam, ùt art est, solvere cupit, tingetur colore primùm albô, & relinquet in fun corpus massæ simillimum, quod omnî exutum acrimoniâ ex contrar orum liquorum irroratione minimè fermentat. Si solutio filtretu remanet super filtrum pulvis tenuis, insipidus, albus, quo in mole concreto litteræ, æquè ac cretâ coloniensî efformari possunt: non ta men propriè creta est, nam hæc ab acidis alterationem patitur, ille ver nec ab istis, nec ab alcalinis. Liquorem filtratum evaporavi, & consp ciebatur pulvis albo-splendens, naturæ alcalinæ, ex minimis squamuli seu oblongis particulis (ùt microscopium probat) tactui modicè re stentibûs conflatus, sine sapore unionibus immaturis contritis non abl milis.

§. XII. Dum ad craterem thermarum declivî accedo foramine, v cina latebra nigricanti obducitur colore, cujus paries peregrinô, d spersô, & modicô splendore nidescit: hunc experiundi causâ toton cultrô, & pulverem grossum seu quartam massam obtinui, cum mic splendentibus, albo-fusco-flaventem, acido- seu potiùs salino-terrea nec cum oleo vitrioli, nec cum alcalinis fixis fermentantem, sup prunam tamen sulphureo cum odore, & cæruleâ flammâ ignescentem.

§. XIII. Huic affine est quintum massarum genus, quod ordinariè su phur thermarum Badensium appellant, solet non modò canales obstru re, sed etiam obturamentis (quêis quadrata eorum foramina occludun tur) adnascitur: color ejus extrinsecè ex albo- & flavo componitur at si diffregeris, in quibusdam particulis fuscas molleculas comperie in ore nullum excitat saporem, nec, si exiccatum fuerit, odorem: quam

di

diu tamen balnei aquîs humeſcit, illas redolet. In igne florum ſulphuris inſtar conflagrat, & quod deinde in ſartagine remanet, primùm quidem ob impuritates nigricat, at ſi in ſtrias fluere ſinis, quaſi flaveſcit.

§. XIV. Dum â pediluvio progrederis, totum antrum tapetibus exornatum dices, ſcintillat undique, & ſi parietes paululum raſeris, molliorum ſaxorum albus emicat color, decidit pulvis ex albo- & rubente fuſcus, terram ſapit, nihil olet, cum nullo liquore fervet, in igne non ardet, ſed quem vividum priùs ſparſit nitorem, amittit, ſubeunte quâdam albidâ oblongarum particularum politie, quæ tamen eandem, quam prior pulvis habuit, retinent, ratione efferveſcentiæ, naturam.

§. XV. Ultimum locum ſibi vendicant illuvies ſeu fæces (der Schlaam) quas genuinas videre res rara eſt; nam quamvis in fundo crateris pauculam earumdem copiam dari certum ſit, non ſufficit tamen tam largo diſpendio. Igitur ii, qui balneo inſerviunt lucri causà aliquot manipulos ex obvia in vineis terra recipiunt, maſsâ noſtrâ (§. 1.) deſcriptâ conſpergunt, & ordinariè ſub fæcum ſcaturiginis nomine divendunt: tales fæces Ego apud me reſervo, & quia, dum maſſa in earum compoſitione ſuperſpergebatur, terra madida fuit, ſolvebantur contenti ſales, & in tenuiſſimas, ſeu capillares cryſtallos haſtatim, confuséque ſibi invicem ſuperpoſitas (quæ per microſcopium valde longæ, & unâ ſui extremitate latiores, craſſioreſque apparebant) degenerârunt.

CAPUT SECUNDUM.

Deſcribit Thermales aquas, earumque Experimenta.

§. XVI.

CONſideratur hìc primùm balnei locus, deinde gradus caloris, & cæteræ proprietates: tandem varia tum per adjectionem, & præcipitationem, tum per evaparationem, deſtillationémque producta. Balnea in quadrangulum conſtructa vides, clavi, ſeræ, ſcamna, ſedilia, verbô, omnia lignea ſunt, coaſſati parietes â feculentiis albo-flaveſcunt, pavimentum multîs pertunditur foraminibûs, queîs ſæpè â ſulphure (ni probè mundentur) obſtructîs, negatur, & apertis conceditur aquarum influxus, atque intra diem in tantam molem lavacrum aſſurgit, ut inundaret, ni junctô balneantium virorum robore ſæpiùs per incile eriguarentur (das Bad abtreiben.) Cæterùm ea vis thermarum

 eſt,

eſt, ut auri ſplendorem augeant, reliqua metallorum genera deni grent, ornamenti, facieíque fucum prodant, pinguem immunditiem deturpent, ergo quoties quisquis balneat, toties mundîs ingreditur linteîs, & mulieres præſertim omnem argenti, ſpuriámque fugiant elegantiam, ne, quæ modò cæleſti erant ſimillimæ, in infernam permutentur Junonem.

§. XVII. *Calorem* ſenſus, & ſudor docet, *gradum*, Thermometrum, quod aſcendit ad gradum

In balneo divi Petri	- - -	77.
- - Mendicantium	- - -	85.
- - Sancti Joannis	- - -	87.
- - Judæorum	- - -	100.
- - Sancti Joſephi	- -	104.
- - - Antonii	- -	106.
- - Ducali	- - - -	106.
- - Sauerbad	- - -	106.
- Cratere ſcaturiginis ſuæ	- -	106.
- Pediluvio	- - - -	106.
- Balneo Virginis	- - -	110.

Probè autem advertendum eſt, quod, ſi aquas ex his balneis ſumptas refrigerari accidat, non citiùs rursus ac fontana vulgaris ad ignem ex obſervatione *Monquentini* incaleſcant.

§. XVIII. *Gravitas* per hydro-ſeu arajometrum (ein Waſſer-Waag) exploratur, illud in aqua ſcaturiginis, quamprimùm è cratere excerpta eſt, ſubſidebat ad gradum tertium, ſeu præcisè eundem, ad quem in aqua puteali demergi ſolet: in cæteris thermarum noſtrarum balneis, præprimis ſi aëri nocturno liberè exponantur, ratione gravitatis differentia quidem aliqua, ſed valde exigua, animadvertitur.

§. XIX. *Conſiſtentia* variat: ingruente enim tempeſtate, eæ potiſſimùm, quæ ſponte è terra erumpunt, turbidiores fiunt: aliàs verò in ſcaturigine aqua eſt albo-turbida; lympida ſatis in balneis Divi Joſephi, Antonii, Ducali, & Judæorum: lympidior, quæ â Sancto Joanne, Petro, mendicabulis, & aciditate cognominatur: lympidiſſima in balneo Virginis: harum omnis, dum commovetur, vel de uno in aliud vas effunditur, leves, paucas, citóque diſparentes excitat bullulas, contrà ſi diutiùs v. g. per ſeptimanas occluſa quieſcat, quandoque non modò vitri fundum brunâ nigredine colorat, ſed ſedimentum etiam paucum, ad motum vaſis mobile, & in aliis lagenis ruffofuscum, in aliis papyro combuſto haud abſimile, deponit.

§. XX.

§. XX. *Color* in aliis subcitrinus, in aliis ad palearem tendit albedinem. *Anemarinus* vult quandoque colorem reperiri rubeum, viridiusculum, aut nigricantem. *Sapor* tepore movet nauseam, & sulphureus sæpè cum fumo latè spargitur *odor*, uterque tamen per noctem, ni bene occludatur aqua, amittitur, vel saltem imminuitur.

§. XXI. Expositîs iîs, quæ vulgariter in balneo observantur, ad alterantia, & præcipitantia gressum facio; hæc autem ejusmodi sunt, ut quædam nihil, quædam leviter, alia plurimùm aquam nostram (dum ei immittuntur) permutent; ad primam classem pertinent oleum, & spiritus vitrioli, nitri, acetum, sal communis, armoniacus, borax, cremor tartari cum saccharo, lac vaccinum, pulvis gallarum turcicarum, malicorii, & flor. Balaustiorum: ubi notandum, quòd, quamvis ex nonnullis tinctura flava, rubra, turbida &c. extrahatur, hicce color tamen &c. hìc non peregrinus, sed domesticus, illis, & quibusvis ordinariis aquis communicabilis sit.

§. XXII. Levis aquarum nostrarum mutatio contingit â quibusdam in colore, ab aliis in odore: sic si Tornam solis, aut syrupum violarum infuderis, primùm quidem nullam à naturali tinctura diversitatem observabis, sed, dum per noctem in vitro steterit, virescet. Contrà calx viva, vitriolum hungaricum, & solutio lunæ, præter colores, & hypostases, quas in ordinaria aqua producere solent, prior auget, posteriora duo minuunt sulphureum balnei odorem.

§. XXIII. Ex illorum numero, quæ thermas nostras maximè alterare valent, sequentia sunt: *1mò*: cum spiritu salis armoniaci guttatim instillato lactescunt, & sedimentum album visitur. *2dò*: idem fit cum oleo tartari, nisi quòd non solùm leves, tenuissimósque flocculos simul oculis objiciat: sed si sedimentum etiam post horas aliquot per filtrum separare sit animus, illud alchooli oculorum cancrorum aut pulveri, quem talî modô (§. 7.) obtinui, formâ & naturâ simillimum esse comperies. *3tiò*: Solutio sacchari saturni aquam odore sulphureo vix non privat: fuscum inducit colorem, pulverem album nigrîs saturni inquinatum corpusculîs in fundum dejicit. *4tò*: Tandem butyrum antimonii odorem ingratum assæ quasi fœtidæ æmulum causat, junctô flavedini rubore tingit, & quamprimùm infunditur, mercurium vitæ præcipitat: hunc decantatione semovi, reliquam in vitro tincturam per noctem reposui, & altero die omnis coloris, saporis, & odoris expers inventa est aqua, residente iterum pulvere albo-flavente, qui solo colore â reliquiis (§. 5.) in filtro ex crystallorum solutione remanentibûs discrepat, non inflammatur, nec ab omnibus iis, quibûs (§. 1.) fermentatio explorari solet, commovetur.

 §. XXIV.

§. XXIV. Sequitur Evaporatio. Ego cujusvis balnei mensura duas seu libras octo, tempore sereno accepi, & in vase figulino vitreato, igne mediocri, exhalavi, remanserunt solidi

Ex balneo Ducali - -	Grana 20.
- - Virginis - - -	24.
- - Sancti Joannis - -	32.
- - Pauperum - - -	32.
- - Sauer-Bad - -	33.
- Scaturigine - - -	34.
- Balneo Judæorum - -	40.
- - - Sancti Petri - -	40.
- - - - Antonii -	46.
- - - - Josephi -	50.

Durante evaporatione per vas multam materiem saporis salsi cum spumulis transudavit, & peracto omni labore vas ipsum adeò friabile, exesúmque factum est, ut sponte suâ in multas terreas, salsásque lamellas disquamaretur.

§. XXV. Solidum, quod ab evaporatione remansit, in omnibus balneis idem est, ab acidis spiritibus (§. 1.) non modò fermentat, sed & ab oleo vitrioli fumum album nares ipsas titillantem admittit, super prunas projectum nec spumat, vix leniter crepitat, non tamen inflammatur, saporem habet in quibusdam similem sali culinario, & particulas, ex quibus componitur, subtiles valde: cæteroquin, quemadmodum (§. 23. n. 4.) post separatum priùs mercurium vitæ altero die in vitro reperta; ita etiam hoc evaporatum fæcibus ex cryStallorum depuratione (§. 5.) in filtro remanentibus formâ suâ est perquàm simile.

§. XXVI. Si curiosior es, facilè illud in duo diversa corpora dispesces; nimirum, recipe evaporati hujus grana 105. solve in aqua destillata v. g. balnei ipsius, quantum satis, filtra, & rursus liquorem evapora: sic aliud corpus invenies in filtro, aliud in fundo vasis, ex quo evaporationem instituisti: illud pondere drachmam unam explet, insipidum est, per calcinationem albescit, nec unquam ampliùs aquâ solvi potest. Hoc de genere salis albi esse censetur, cujus sapor idem, quem (§. 25.) degustavi, particulæ verò quasi crystalluli oblongæ, pellucidæ, tenuissimæ, hinc inde dispersæ, quædam irregulares, quædam tantâ nebulâ obvolutæ sunt, ut eas neque microscopiô discernere potuerim. Utrumque hoc corpus ab acidis, neutrum ab alcalinis, æquè ac (§. 25.) eorum compositum fervet; si fumum exceperis, qui ibidem ab affusione olei vitrioli solet elevari, etenim quam-

quamvis & hunc quidem in posteriori conspicies, neutiquam tamen in anteriori, seu post præmissam calcinationem, seu antehac experimentum ceperis.

§. XXVII. Agmen claudit destillatio thermarum, quarum libras 16. ex scaturigine accepi, & ex cucurbita vitrea longi colli in balneo Mariæ per alembicum prolicui aquam lympidam, claram, empyrevma redolentem, in qua non solùm demersum thermometrum unô gradu magìs, quàm (§. 18.) demergebatur; verùm etiam nec oleum tartari, nec spiritus salis armon. ullam perturbationem (contrà ac §. 23. n. 1.) induxerant. In fundo cucurbitæ reperiebantur drachmæ tres solidi residui, inodori, luteo-flaventis, cujus sapor, cujus figura particularum (dum armatîs inspiciebatur oculîs) ad crystallos salis communis accessit, quæ super ignitum carbonem crepitat, quæ ab oleo vitrioli fumat, nares acriter feriendo, & reliqua (quæ §. 25. in evaporato enumeravi) sed gradu eminentiori præbet phœnomena.

CAPUT TERTIUM.

Statuit constitutiva Thermarum Badensium.

§. XXVIII.

MUltæ hanc in rem prostant opiniones *Theophrastus Paracelsus tom. 1. lib. princip. tract. 9.* Speciem quamdam Talci & Kakimiam seu mineram alicujus metalli immaturam balneis nostris inesse meminit. *Wolffgangus Anemarinus tractatulô de thermis Anno* 1511. *editô* (quem ex Bibliotheca AA. RR. DD. Canonicorum Regularium ad S. Dorotheam mihi perlegere licuit) *capitulô primô* enumerat sulphur, nitrum & alumen inter principia. Huic sententiæ fideliter adscripsit *Anno* 1568. *Martinus Rulandus in hydriatrice pag.* 43. & *Monquentin in thermologia Badavino-Austriacâ Anno* 1651. *typis datâ*: *Georgius Krekwig* auß Siebenbürgen *in totius Regni Hungariæ descriptione editionis Francofurtensis & Noricæ pag.* 21. addidit sal gemmæ; ast *Festa* in seinen Badner-Bad hunc rursus expunxit, & vitriolum ejus loco substituit. Tandem *Carolus Pisani in Disputat. sua inaugural. Cap. 2. §. 7. pag.* 14. *Viennæ editâ* Festæ sententiam correxit, dum salia illa non seorsim sub propria sua figura, sed in sal tertium permutata esse contendit. Si solidam diversissimorum assertorum rationem expetis, omnes hos licèt pervolvas Authores, nullam invenies: purè, quia ita placuit, asseverant. Igitur, ut methodicè rei fundamentum eruamus, signa adducam caracteristica,

queîs

queîs præfata mineralia ordine cognoſcere, diſcernere, ideóque feliciùs de eorum exiſtentia judicare poſſumus. Ordior autem â nitro & terra calcaria, dein per talcum, ſal commune, vitriolum, ochram, alumen & ſulphur excurram, donec in ſpiritu minerali, & Kakimia conquieſcam.

§. XXIX. Omne nitrum excitat in lingua lene frigus cum amarulenti ferè acrimonia, & cryſtallos format prismaticas, prout *Liſterus* accuratè depinxit. Duplex eſt, officinale, ſeu Halo- & calcarium, ſeu aphro-nitrum. Illud prunæ injectum accenditur, totum in halitus difflatur, cum ſulphure fuſum detonat, & naturæ inter acida & alkalina eſt mediæ. Hoc ſuper carbones ignitos projectum ſine flamma liqueſcit, in bullas elevatur, & in corpus inſtar pumicis albi degenerat. Quia igitur poſterioris proprietates in cryſtallis noſtris (§. 5. & 6.) liquidò cernuntur, de illius ſaltem ad thermas præſentia non ambigo. Aſt, qui halonitrum ſomniaverit, nullô experimentô, aut ratione evincet.

§. XXX. Nec juvat dicere cryſtallos noſtras non efferveſcere cum acidis, quod de eſſentia aphronitri eſt, utpote naturæ alcalinæ, cujus ſolutio non ſolùm cum ſyrup: violar: & Tinctura tornæ ſolis cærulea vireſcit, cum oleo tartari, & ſpiritu ſalis armon: lacteſcit &c. Verùm etiam mundificat, & cum acidis efferveſcit: mundificatio ex *Jerem. 11. verſ. 22.* colligitur, dum Judææ peccanti dicitur: *ſi laveris te nitro, & multiplicaveris tibi borith.* Efferveſcentia verò ex *Proverb. cap. 25. verſ. 20. acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* At reſpondeo, de eſſentia non eſſe, ut omne nitrum calcarium cum acidis extra terram efferveſcat; poteſt enim in cavernis interioribus ſaturari, qualiter apud *Hoffmann: in opuſculis phyſico-medicis pag.* 50. egregiè in pluribus germaniæ fontibus fieri demonſtratur, & antiquitùs etiam nitro calaſtreo apud *Plinium* eveniebat, quo, ad condiendum panem, utebantur Macedones: cùm igitur in noſtris thermis ingens ſit ſpirituum corroſivorum quantitas, ùt inferiùs demonſtrabitur, hi, dum in crypta incarcerati extra aquas vagantur, ad punctum ſaturationis nitri alcaleſcentiam, ſicut ſali tartari in præparatione tartari vitriolati contingit, opplent. Contrà verò, donec ipsîs aquîs eorum energia diluitur, aut liberè evaporare valent, alcaleſcentiam quorumdam corporum manifeſtè conſpicies, ùt ex (§. 22. 23. 25. &c.) liquet; dum ex eo etiam confirmatur, quod lintea munda, quò ſæpiùs quis balneat, eò magis, magìsque dealbentur.

§. XXXI. Certum igitur eſt aphronitrum ad balnea Badenſia reperiri: verùm ſitne in aquis ipſis, haud ſatis ſcio. Profectò neque poſt evaporationem (§. 24.) neque poſt deſtillationem (§. 27.) in fundo

illud

illud reperire potui. Neque existimare possum illud esse volatile: siquidem alembicum transcendere, & in recipiente aquæ destillatæ permisceri debuisset, quod tamen neque ex olei tartari, neque spiritûs salis armon. (§. 27.) ullâ lactescentiâ divinare licet. Nihilominus si spumas, quæ durante evaporatione (§. 24.) transudant per poros vasis, terrei trutino, aliquam saltem hujus nitri inexistentiam denegare nequeo. Neque oggeras velim, residuam â destillatione materiam (§. 24.) non spumare; nam hoc â paucitate nitri calcarii, crepitatione salis communis, præpondiô, & qualitate aliorum principiorum impeditur.

§. XXXII. Ubi nitrum calcarium reperitur: ibi etiam lapis calcarius, sive qui in calcem uri potest, ignitus, dum in aquam projicitur, facilè desilit: ejus facies interna, si diffringatur, lævis est, & ad polituram spectat: huc referuntur creta alba, argilla, silices, gypsum. Dum aquis calcaria hæc terra inhæret *Listerus* cognosci putat, si ad ignem aqua tepefiat, decidit enim statim, si quædam inest, ochra, dein squamæ lapidis calcarii, tandem si ulteriùs ad medium evaporas, in nonnullis aquis plumosum alumen. Contrà si sine igne sponte naturæ solùm, & in vase clauso sedimentum præstolaris, lentè valde cadit ochra, lapis autem calcarius non nisi adhibito gelu. Ego compendii, & facilitatis causâ præcipitatione usus sum, & partim, ex sedimento (§. 23, *n.* 1. *&* 2.) ad mentem *Hoffmanni*, partim ex residentia secundaria per butyrum antimonii (§. 23. *n.* 4.) calcaream terram balnea nostra ingredi cognovi, comprobat materia illa, quam instar cretæ (§. 11.) & dein etiam ex balnei evaporati residuo (§. 26.) in filtro obtinui: præsertim, quia non procul â Bada ad oppidum (Gaden) multa calx in ædium usum ex talibus lapidibus indies exuritur.

§. XXXIII. *Paracelsus* fortè materiam hanc, quam lapidem calcarium nuncupo, nomine Talci insignivit, quia hoc igne adustum asperum, & suô modô friabile est, exuccúmque nîl omninò oleosi ad speciem possidet, quod si ita, lubens assentior: si in rigore talcum intelligit, nego: talcum enim in pulverem politum, pinguem, & nulla elasticitate tactui resistentem redigitur, nec cum acidis, nec cum alcalinis fermentat, & intra 4. dies vix igne fortissimo apud *Schrœder*: calcinatur. *Vide etiam commercium litterar. pag.* 21. contrà est in materia thermaram nostrarum, sub contactu instar rasuræ ossium resistit (§. 25.) citò calcinatur, cum acidis, usque dum non sufficienter saturata est, fermentat, & in materia ex crystallis (§. 7.) & ex balneo (§. 23. *n.* 2.) per oleum tartari præcipitatâ clarè vidimus. Quod si dicas fermentationem hanc ab oleo tartari cum sedimento sese maritante provenire: memineris velim, quòd residuum ab evaporatione (§. 25.) pariter cum acidis pugnet. Si urges: pugnam

hanc

hanc ſali tantùm communi adſcribendam eſſe : tibi oggero, quod ſal communis quidem cum oleo vitrioli, non autem cum cæteris mineralibus ſpiritibus acidis fermentet, ſecus ac materia locô citatô. Tandem ſi dicas, talcum ab ignibus ſubterraneis calcinatum eſſe. Reſpondeo: quòd talis calcinatio non modò fictitia ſit, (quis enim in balneo Mariæ calcinationem credet?) verùm, etiamſi daretur, multò citiùs ſalis communis energia (de quo mox diſſeram) deſtrueretur, quàm talcum vel leviſſimè calcinaretur.

§. XXXIV. Dum aphronitrum in noſtris ſtatuimus, illud multîs impuritatibûs commixtum eſſe, quivis facilè concipiet, â quibus, ſi fortè depurari poſſet *Theophraſtus tom.* I. *pag.* 1037. exiſtimat, halonitrum verum productum iri: ait enim: in der Erden wird ein ſolch Saltz/ wie Nitri iſt/ gefunden/ nemlich/ das die Natur durch die Poros der Erden/ wo ſie Hülinen/ Cataracten/ und Löcher hat/ in denſelbigen ſetzen ſie Zapffen und lange Röhren auf Saltz Geſtalt und Form. So nun dieſelbigen Saltz-Zapfen genohmen werden/ und nach der Saltz-Kunſt bereit/ alsdann ſo werden auch beyde Saltz daraus: ein Eß-Saltz/ auch ein Niter-Saltz ꝛc. Inter impuritates primas tenet ſal commune; unde, niſi in nitro excoquendo debita cautela adhibeatur, totum ferè nitrum in auras abit, relicto merè ſale communi, quem figura prodit cubica, ſapor ſalſus, crepitatio ſuper carbones, & fumus albus ex affuſo oleo vitrioli elevatus, fortitérque nares feriens. Porsus idem fatum Ego ipſus in evaporatione (§. 24. & 25.) & deſtillatione (§. 27.) balnei expertus ſum, nullum ferè nitrum in fundo remanſit, ſed utplurimùm, quidquid erat, cum ſalis communis notis conveniebat.

§. XXXV. Omnes Europæ plagæ ferè martialem alunt mineram, quare & vitriolum, quod conficitur, martiale potiſſimùm eſt. Hoc verò ſpectatur vel in fieri, vel in facto eſſe. In fieri, dum ex matrice ſua v.g. è pyrite progerminat, ſive in ſolo aëre, ſive ſtillantibus deſuper aquis: ibi pilîs albidîs, tenuibúsque ad trichitis modum, ſed ſucceſſivè cum virore craſſeſcentibûs propullulat: hìc dum ſtillicidium artificiale inſtituitur eâ cautelâ, ut, priusquam â gallis nigredine tingatur, aqua amoveatur (& inde ſal cubico-rhomboides extrahitur) aut tamdiu ſtillare finitur, donec immiſsîs gallîs atramentoſus naſcatur color, ſed tunc cryſtallos multangulas ſubvirides inſtar aluminis adipiscimur. In facto eſſe vitriolum obſervamus, dum ex priori ſtatu per debitam maturationem ita perficitur, ut vireat, cryſtallóſque efformet ex decem planis, quorum quatuor media ſunt pentagona, extrema autem ubique terna triangula. *Liſterus tract. de thermis ac fontibus medicatis Angliæ.* In genere verò, quidquid potenter vitriolicum eſt, habet ſaporem nauſe-

oſum,

olum, dulcem & fortiter adſtringentem, alcalinis & acidis fermentat, & ab auſteris v. g. gallis, corticibus granat:, flor: balauſt: &c: denigratur.

§. XXXVI. Thermæ noſtræ ex montibus ſcaturiunt, qui continuo tractu in vicinam progrediuntur Styriam, ubi ingens copia ferri conficitur, attamen ipſæ nullum nec in ſapore (§. 20.) nec gallarum (§. 21.) vel alkalinorum (§. 23. *n.* 1. & 2.) additione, nec ullô hactenus mihi cognitô modô vitrioli ſigna patefaciunt, ne dicam, genuinum illud, & maturum unquam inde elici potuiſſe. Aſt maſſa ſecundô locô (§. 8.) â me expoſita ferè nihil præter immaturum eſt vitriolum, cujus quidem geneſis non ab ochra, donec in aquis hæret, petenda eſt, ſed poſtquàm inde in petroſum fornicem elevatur, vel ibidem aliunde hæret, ab ambiente humido in caverna aëre ita diſponitur, ut quemadmodum (§. *ſuperiori*) vitriolaceus trichites artificialiter, ita & hìc naturaliter progerminet.

§. XXXVII. Ochra lutea, vel purpurea eſt terra: ponderoſior cæterîs, poſtquàm crematur, ferè tota â magnete attrahitur, & in univerſis atramentoſis acidulis reperitur: nihilominus poteſt ita lavari, ut non ampliùs aquas cum gallis turcicis denigret: ſi in lagena clauſæ tales aquæ ſibi relictæ frigidæ ſerventur, lentè ad fundum præcipitatur, aſt ſi ad ignem tepefiant, omnium primò propter metallicam ferri gravitatem detruditur: quod nonnulli etiam ab immiſſis conchis præparatis affirmant; ochra hæc nonnunquam volatilis valde, per coctionem ferè tota exhalat, propterea aquæ nonnullæ minùs æſtate, & cælô ſerenô, magìs nubila hyeme â gallis colorantur. Hæc paſſim *Liſterus lib. cit.*

§. XXXVIII. Thermas noſtras etiam ochram ſecum ferre, innuit partim ſedimentum, quod in lagenis (§. 19.) reperitur, partim poſt deſtillationem reſiduum luteo - albens (§. 27.) omnium optimè verò cryſtallorum paratio (§. 5.) ſiquidem in filtratione tota inferior filtri pars materiâ coloris flavi inficitur: imò ſi cryſtallorum ſolutionem cum conchis præcipitare lubet, manifeſtè in fundo reperies. Neque juvat dicere, reſiduum ex evaporatione (§. 26.) diuturnâ calcinatione albeſcit: ergo nihil ochreacei continet; nam ochra illa volatilis eſt admodum, imò magìs quàm in thermis Bathonienſibus Angliæ, ſiquidem hæ ſaltem leviter nonnunquam atramentoſæ ſunt, aſt noſtræ (quantum hactenus §. 21. experiri licuit) nullô modô, ſive ob puram volatilitatem, ſive propter paucitatem ochræ, aut velocitatem aquarum in terra deſuper fluentium (ùt dum §. 35. per ſtillicidium vitriolum conficitur) contingit. Nihilominus in cryſtallis (§. 7.) & maſſâ

 ſecun-

secundâ (§. 9.) satis fixa reperitur: neque ab igne evaporante, vel urente deperdit extricatam magis (propter evaporatam domi sensim sensimque humiditatem) ochreaceam flavedinem (§. 8.), quoniam partim ab aëre, partim â minerali illo Spiritu in fixius abivit corpus. Unde autem ochra ista proveniat, an primariò fortè â pyrite, hæreo; quamvis enim *prout Listerus Cap. 7. pag. 54. docet*) lixiviô saponariorum aquas nostras jam jam ferme evanidas præcipitârim, nullus tamen aureo splendore micans pulvis præcipitabatur, ex quo pyriten inferre liceret.

§. XXXIX. Alumen duplex potissimùm est, aliud scissile, aliud rupeum, seu etiam ex terra bituminosa nigra, & subadstringente prope Halam Saxonum elicitum: illud quasi lapis est canescens, aspectu ferè pinguis, ex numerosis tenuibus fibris facilè separabilibus componitur, ex Styria ad nos defertur, saporem *Boeclerus* statuit subadstringentem, *Dioscorides l. 5. c.* 77. validissimè adstringentem, Ego in illo, quod gustavi, terreum tantùm percipio, non solvitur aquâ, nec cum acidis fervet. Dum in forma pulveris cuti aspergitur, pruritum excitat, quâ ratione ad paralytica membra applicatur. *Listerus pag.* 32. simile ferè alumen ex sulphure usto & ipso pyrite simul maceratis parari docet. Lösneys verò in seinem Bericht von Bergwercken pag. 332. ait: die Erde aber (loquitur de coctione lixivii aluminis rochæ) die am Boden der Pfannen ligen bleibet / thut man darvon / dann sie ist fett und alaunisch / in welchem offt das weisseste / und leichteste Federweiß gefunden wird. Qui fibris aluminis scissilis assimilaverit particulas oblongas & insipidas, quæ vel ex massa prima in filtro (§. 5.) remanent, & crystalli instar pellucent: vel ex massa tertia per evaporationem & filtrationem (§. 11.) acquiruntur, ex mea sententia non aberrabit, nam supra cutim pruriunt leviter, & ex cæteris multa signa coindicant: at tamen quia particulas has tantummodo extra aquas conspexi, nullatenus ex thermis elicere potui, eas inter constitutiva numerare nequeo.

§. XL. Rupeum alumen, vitriolum saturni est, & artificialiter ex creta Spiritu Sulphuris solutâ, iterúmque coagulatâ parari potest, ùt docet *Vicarius in hydrophilacio Cap.* 8. *pag.* 43: crystallos format secundùm alios octo, secundùm *Listerum* undecaædros, quæ non modò in igne facilè spumant, sed etiam (si scatulâ munitæ in sacco portentur) facilè dissiliunt, cum oleo tartari, non autem cum acidis fermentant sive urantur, sive non, lac coagulant: quin & illud proprium est aluminis, ut nitri tum calcarii, tum phlogisti crystallos elegantiores reddat, si ejus frustulô patina, in qua crystallisatio adornatur, leviter ad immitationem *Listeri pag.* 33. fricetur, vel ùt *Erkerus* habet in seinen

Probir

Probir-Buch *L.* 5. *pag.* 137. wann das vollbracht (agit de præparatione nitri) dann so nehme 3. oder 4. Loth gebrandten Alaun klein gestossen / schütt den in die Läuterung / rühre sie wohl um / darvon pflegt der Salpeter schöne lange Schuß zu thun. Qui aquarum examina instituunt, putant, dum ab immissa cochinella color intendatur, aluminis signum esse, ast falsò, quia id etiam vitriolaceis convenit. *Hoffman. opusc. physic. chymic. pag.* 299. ait. *aluminis solutio à gallis turcicis nigredine non tingitur*, at meâ experientiâ saltem fuscitas inducitur: rursus *differtat: de methodo examinandi aquas pag.* 24. ubi de exploratione aluminis per præcipitationem differit, sequentia habet: *si verò hâc mixtione*) aquas intelligit minerales mixtas cum oleo tartari per deliquium) *candidum præcipitatum igni impositum spongiosum fiat, & intumescat, tunc demum non ampliùs de aluminis præsentia dubitarem*, id ipsum confirmat *part.* 2. *opuscul. phys.-med.* Verùm enim verò hoc totum sedulo labore erroneum esse comperi: nunquam enim præcipitatum simile super ignem spumare solet; quod ipsissimus *Hoffmannus*, si verborum suorum meminerit, confirmat: ait *commentatione in Schrœder: Cap.* 24. *pag. mihi* 705. *editione vernaculâ: recipe solutionem aluminis, superaffunde quantitatem sufficientem olei tartari per deliquium, & subitò coagulum album præcipitatur, quod, si exiccatur, lapideam præsefert calcem, quæ neque in igne funditur, nec spumat.*

§. XLI. Nullum ex antecedentibus experimentum est, quod in balneis nostris vel granulum hujus aluminis probaret, non lac coagulatur (§. 21.) nihil in residuo ab evaporatione, nihil â destillatione relinquitur, nihil per præcipitationes &c. ostenditur, quod alumen spiraret. Eadem prorsus de massis ratio est. Dices: massa (§. 8.) habet saporem cum stupore adstringentem, spumat in igne, cum oleo tartari ebullit, non cum acidis; prorsus ad modum aluminis (§. 40.) Denique crystalli ipsæ (§. 6.) eleganter quasi *Erkeri* methodô excrescunt. Sed contrà est, quod potens illa cum stupore adstrictio inde proveniat, quod Spiritus illi minerales continuò ex scaturigine eleventur, massámque fornicis sui nimiùm saturent, quemadmodum in compositionibus nitri nitrati, terræ foliatæ tartari &c. observamus: quare etiam cum oleo tartari per deliquium fervet, non cum acidis: spumare autem in igne necesse est propter admixtum nitrum calcarium: Tandem crystallorum elegantia ab alumine proficisci nequit, ob tam difficilem earum concretionem (§. 5.) alumen enim facilitare debuisset, adde, quòd Ego sæpiùs alumen cum nitro solvere, & in easdem crystallos combinare contenderim, sed irrito successu, nitrum enim sua prismata ad latus, alumen verò octohedras semper in fundum deposuit.

§. XLII. Sulphur vulgare artificialiter conficere docet *Frid. Hoffman. opuscul. physf. chymic. l. 3. pag.* 304. ſi vel Spiritum aliquem vitriolaceum v. g. aluminis, ſulphuris, vitrioli cum opio &c. per retortam deſtillaveris: vel ſi cum carbonibus pulveriſatis aphronitrum Jenenſe, vel ſal thermarum Carolinarum, Schemnizenſium, acidularum Egranarum, ſedlicenſe, tartarum vitriolatum &c. in igne liquaveris. Notandum verò, quòd nec prius cum Spiritu ſalis communis, aut nitri, nec poſterius cum ſale alkali nitroſo, borrace &c. ſuccedat. Nullum corpus ſulphure citiùs conflagrat, cæruleam ſpargit flammam, odorem tetrum ſæpè pectori infenſum, ſuffocantémque: quamdiu tamen ſine igne, calce vivâ, aut fortiorî triturâ eſt, odore caret: cum liquoribus alcalinis in lixivium reſolvitur, & per affuſionem acidi in lac virginis præcipitatur: olea deſtillata rubedine & Spiritum vini rectificatiſſimum flavedine tingit, cujus tincturæ adminiculô, quin & aliàs, argentum denigratur.

§. XLIII. Tale ſulphur thermas noſtras inhabitare, ſed ob multas heterogeneitates oleum terebinthinæ & Spiritum vini rectificatiſſimum albo-flaveſcentî tinctura imbuit, & affusâ aquâ lacteſcit, quod non modò maſſæ (§. 12. & 13.) & flos ille albicans univerſis ejusmodi aquis innatans, & circa oras iſtiusmodi fontium ubique (§. 16.) adhærens ad oculum demonſtrant, ſed ipſis etiam balnei aquis (præter ea, quæ §. 16. obſervantur) ineſſe confirmat experimentum (§ 23. *n.* 3.) ſiquidem recens balneum (â quo nondum exhalavit ſulphur) in obdurato anguſti colli vitro ad illud perficiendum requiritur; ſecus enim â ſaccharo ſaturni non fuſcitas, ſed lacteus inducitur color: qui tamen quamprimùm particulam florum ſulphuris addideris, rursus in fuſcum degenerat: manifeſtô indiciô, quod, quæ in evanido, eadem etiam in recenti balneo cauſa ſit fuſcitatis.

§. XLIV. Ingentem ex balneo noſtro ſpirituum mineralium copiam exhalare, non modò ipſe odor longè latéque diffuſus nos docet, ſed & guttæ, quæ in ſcaturigine ex petroſæ cryptæ fornice extillant, lintea corrodunt, & panni colorem vitiant. Aſt quò certior eſt eorum præſentia, eò obſcurior eorundem origo, & differentia. Probabile tamen eſt, eundem non tam ab arſenico, antimonio, bitumine, aut ſulphure vivo ortum trahere; ſiquidem in Auſtria harum nulla minerarum extant veſtigia; potiùs igitur exiſtimandum eſt, quòd pars ex vegetante martiali minera, quam *Paracelſus* nomine kakimiæ occultavit, pars ex calcarii lapidis germinatione, primariam ſuam originem ducat, plerique enim vicini montes magnâ ſui parte ex his duobus compinguntur, atque, ne fruſtrà rem aſſerere videar, ſpiritus ille, qui

ex

ex ſcaturigine elevatur, ſulphurei odoris eſt, & vitriolaceam maſſam (§. 8.) efformat: ſed hoc poteſt ſolus ſpiritus ex minera martis proveniens; ſiquidem, ſi pyritem cremaveris, idem evenit ſecundùm *Liſterum*, ergo. Quod verò lapis calcarius in germine halitus ſpiret, nôrunt nitrarii, quos ideò *Ramazzinus* non lipire exiſtimat. Prætereà cryſtallis (§. 6.) nitroſis etiam vitriolaceus ſapor ineſt, & viciſſim maſſæ (§. 8.) nitroſa miſcetur ſpumeſcentia, quia in earum generatione mineralis ille ſpiritus & martialis, & nitroſæ fuerit proſapiæ. Confirmat locus ipſe, in quo maſſa prima & tertia invenitur, nam hæc propior eſt ſcaturigini, illa remotior, in hoc vitriolum, in illo nitrum prædominatur, Quia vitrioli ſpiritus minoris reſpectivè eſt volatilitatis, quàm nitroſus, ùt patet ex chymicis.

§. XLV. Tandem quod proportionem ingredientium attinet, quantum fieri poterat, deſtillatio & evaporatio palam dant, accuratiùs verò nec ob volatilitatem, nec ob diffuſam nimis eorum vim definire nequeo. Audite, candidum hâc ſuper re *Henrici ab Heer in ſpadanocrene cap.* 7. judicium: *cæterùm quâ ſubterraneorum proportione* (Thermæ) *commiſceantur, quotquot mihi præſcripſerunt*, (ipsâ ſententiarum ſuarum confuſione ſe occultè neſcire fatentur) *nec ſanè video, quem inter calida & frigida habeant ordinem; hoc in origine Nili aut Democritæo in puteo cum veritate latet, nimirum in luce rerum tenui homines caligamus, in mediocri cæcutimus, in majori talpæ ſumus, in maxima inſanimus, ſufficit ergo ſcire his aquis* nitri calcarii, terræ calcariæ, ſalis communis, ochræ, ſulphuris vivi, ſpirituúmque mineralium vim ineſſe, *qualitatum tamen primarum proportione manente incertâ, &c.*

CAPUT QUARTUM.

Modus agendi, & adhibendi balnea.

§. XLVI.

ACtio balnei alia eſt per accidens, alia per ſe: illa, in ambulatione, motu, qui in thermis contra preſſionem aquæ inſtituitur, & animô â domeſticis curis liberô, hæc, ex ingredientium natura reſultat, & conſideratur, vel quatenus omnia ſimul agunt, vel ſeorſim. Actio omnium ingredientium ſimul conſiſtit in gravitate & calore. Gravitas eſt communis ferè aliis aquis putealibus ex (§. 18.) ideóque hac ratione non aliam habet prærogativam, quam *Bellinus*

vult.

tract. de urinis & pulsibus pag. 143. & 44. adſcripſit: unumquodque balneum gravius eſt aëre, quo circumſcribimur, unde quoties demergimur, magis non ſolùm rectà, ſed quaquaverſum premimur, & cùm oſſa cedere nequeant, partes, quæ propter minorem â cute diſtantiam preſſionem perducunt ad os, validè comprimuntur; has inter ſunt omnis generis vaſa, unde quidquid inhæret, facilè exprimitur, & contactum mutat, augetúrque circuli velocitas, longô etiam â balneo tempore perduratura. Confirmatur ex urinis balneantium aquoſis corrugata cute, & facilitate, qua brachium, donec in aqua hæret propter niſum, quo aqua illud ex ſe urget in ſuperficiem, multò promptiùs elevatur, quàm deinde per aërem: tantò enim difficilior eſt in aëre elevatio, quantò reniſus aquarum excedit momentum aëris.

§. XLVII. Calor thermalis non idem eſt, ac calor aquæ ad eundem gradum igne tepefactæ, nam 1*mò*: illa non æquè urit os, ſi ſumatur, ac hæc; 2*dò*: cocturæ ratione: ſic quædam folia colore tantùm mutato, in calidiſſimis thermis rigida permanent, cum ea â levi coctione in aqua molleſcant. 3*tiò*: nocte plùs incaleſcunt thermæ, quàm interdiu, ſiquidem in balneo Ducali â meridie thermometrum 106. gradibûs aſcendit, quod horâ quartâ matutinâ 115. æquavit. 4*tò*: aëri expoſitæ diutiùs calorem ſervant, quàm aquæ ſimiles igne culinari tepefactæ. Ergo calor iſte non præcisè humectat, ſed exiccat magis, & reliqua thermarum principia in motum majorem deducit, propter quem citiùs profundiúsque in fibras penetrant, & vim ſecundùm proprietates ſuas exercent. Hinc â balneo per plures horas habitus corporis valde turget, florido colore quaſi ſcintillante ſuffunditur, ſi longiùs protractum fuerit, phlogoſes aſcendunt, atque ſudor copioſus, ſi præcipuè in lecto requieſcant, profluit.

§. XLVIII. In ſpecie *nitrum calcarium* abſtergens eſt medicamentum. *Terra calcaria* acrimoniam acidam temperat & abſorbet. *Sulphur* prætereà humores in peripheriam propellit. *Sal communis* viſcoſitatem reſolvit. *Ochra* roborat languidas fibras. *Aqua* per poros cutis protruſa vehiculum ſuppeditat fluidis, & ſolida in motum deducit: quemadmodum *Bellini* experimentô *loc. cit.* contingit in fune, è cujus altero extremo pendet ſaxum, quanti vis ponderis, ita ut funem in maxima tenſione detineat, ſi deinde ſuperficies funis leviter ſpongiâ madidâ humeſcat, videbis paulò poſt ſaxum attolli.

§. XLIX. Spiritus tandem mineralis pervadit omnia, minimos nervorum tubulos aggreditur, & ingreditur, martis ex natalibus ortus, villos minimos, quos cætera medicamenta communiter ob improportionem molis intactos ſinunt, in motum tonicum deducit, irritat

ritat potentissimè, ùt phthisicorum suffocatio docet, humorésque sine dubio strangularet, ni partim aquarum copiâ, partim nitrosîs lapidis calcarii halitibûs contemperaretur. *Neque opponas*: spiritum hunc utpote naturâ acidum non rarefacere, sed humores coagulare debebere: siquidem non talis est aciditatis, qualem ars simpliciter ex salibus mineralibus parat, sed sulphuream penes acquirit indolem: noscimus enim spiritûs viridis æris, nitri, vitrioli, &c. acorem, conjunge tamen corpus sulphureum, & elegantissimum habebis deopilativum v. g. spiritum asthmaticum; carminat: de tribus, mixtur: simplic. &c.

§. L. Patet ergo vim thermarum nostrarum esse tonicam, aperientem, abstergentem, exiccantem, & calefacientem. Patet 2*dò* thermis nostris nihil inesse præter nauseosum saporem (qui tamen communis est pluribus egregiis medicamentis) quod eas ab usu interno in robustioribus arceret, cumprimìs si dosis cuique competens, per gradus priùs â minori ad majus ascendendo inveniatur. Id ipsum sanè *Monquentin lib. cit. Cap. 4. & circa finem* pluribûs exemplîs confirmat, & plerumque per vomitum, aliquando secessum, sudorem, & urinam operari ait, prorsus ad eundem ferè modum, quo omnes aquæ medicatæ apud *Hoffman.* pro re nata & saburrâ in ventriculo, intestinis, &c. vires suas exercent.

§. LI. *Festa* quidem minùs opinionem nostram probat, dum *pag.* 25. putat terrestri sulphure vasa lactea & cætera æquè ac canales, queîs ex scaturigine in *prœmio* deducitur, obstruere, cujus rei tragicos effectus ille pag. 27. propriîs experimentîs se confirmare posse, ait, ast nullum adducit. Tandem ita progreditur: dieses alles doch ungeacht/ weillen dieses Bad-Tranck noch auf jetzige Zeit sehr oft von so vornehmen und weisen Männern (gegen welchen ich auch nur ein Schatten zu seyn/ mich unwürdig achte) verordnet wird/ will ich mein/ vielleicht nicht gar zu zeitige Meynung/ deren weit-erfahrneren/ und reiferen Judicio gantz gern unterwürffig machen. Enimverò, si propter crassitiem sulphuris usum internum negat, obsecro, cur non etiam Thermarum Carolinarum propter tophaceam materiam, quam secumvehunt tanta quantitate, ut, si ovum iis diutiùs immersum serves, crustâ obducatur: cur non, inquam, etiam Birenwardensibus incolis prohibeat, ne fontem bibant publicum, quia in coctione, cacabi superficiem alba & dura instar gypsi crusta totaliter obducit. Sanè *D. D. Festa* hâc in re tanta experientia non fuit, quia nec obvium sal commune (quod in thermis est) experiri valuit.

§. LII. Sunt & nonnulli, qui summi instar arcani modum servant, quo artificialiter thermas nostras potabiles parant: verùm impostura est,

vestem

vestem pro Junone adorant: etenim, vel ita parant, ut calorē nativum de perdiderint, vel non: *Si perdiderunt*, non ita penetrant ex (§.47.) & licèt rursus ad ignem calefierent, non modò caloris proprietatem (§.47.*n*.4.) propter *Monquentini* experimentum (§.17.) deperdunt, sed etiam spiritus, ut pote, qui tantæ sunt subtilitatis, ut nec vasîs destillatoriîs coërceri queant *Si non*: vel parant per destillationem, vel præcipitationem. *Si primum*: non differt ab aqua fontis nisi empyrevmate ex (§.27.) *Si secundum*: fit *vel per acida*: Sed non succedit ex (§. 21.) quin imò odorem consequenter & spiritum castrant. *vel per alcalina*, ast hæc innocentem solùm terram calcariam semovent ex (§. 23.*n*.1.*&* 2.*item* §.32.) nec non odorem sulphureum quem maximè obesse vulgus putat, intendunt, út patet in calce viva (§.22.) *vel* denique *per corpora naturæ mediæ*: verùm & horum alia odore tantùm privant, quemadmodum vitriolum, & solutio lunæ (§. 22.) *alia* licèt egregiè quidem præcipitant, ùt saccharum saturni (§.23.n.3.), scire tamen desidero, an præcipitatum hoc ex aquis separetur, nec ne? *si posterius*, frustrà suscipitur labor: *si prius*, viribûs spoliatur balneum. Quidquid enim inest, ita se habet, ut universaliter loquendo non nocere, sed prodesse ex (§. 48.) hominibus possit, si legitimè adhibeatur.

§. LIII. Ego nihil magìs accommodum præcipitando nostro balneo invenio præter butyrum antimonii (§. 23. *n*. 4.) attamen nemini author sum, ut similes aquas præ naturalibus bibat, insipidæ instar aquæ fontanæ sunt, & omni exutæ robore, similes, si non fors eædem, quas (tanquam in internum, pomposô titulô, usum paratas) Badæ mihi degustare licuit. Neque præcipitatione hâc solum sulphur amovetur, sed etiam terra calcaria ex (§. 32.) ochra & spiritus. Si dicas saltem sulphur ex propria nostra confessione (§. 43.) per saccharum saturni â thermis liberatur, ita est: at non solùm sulphur, sed & terra calcaria, & sal commune, spiritus intereà aliunde abit, ut meritò de potûs hujus artificio cantare liceat: parturiunt montes, & prodit ridiculus mus.

§. LIV. Communiter tamen thermæ nostræ in externum balnei & pediluvii cedunt usum. Medicus priusquam balnei curam ordinat, plethoræ, & cacochymiæ, per venæsectionem, & purgationem &c. prospicere debet, ne graviores commota turbas sentina inducat: In balneatione observatur tempus, numerus, ordo, & regimen. Primò firmiter est tenendum, ne diebûs canicularibûs, fervente sole, aut perfrigidâ hyeme balneent, ibi spiritus imbecilles, hìc frigoris & caloris repentinæ permutationes obstant. Vere & autumno tuta sunt omnia. Deinde, qui pinguî, viscosô, aut cachecticô sunt corpore, curationem in longius protrahant tempus, necesse est; secus calidiores, & qui præservationis tantùm causà balneant, utì enim pinguedinis mole infar-

cta

cta cutis ægriùs aperitur, & durior morbus fortiori cuneô indiget, ita viciſſim tenuior, & debilior ægritudinis venturæ fomes cedit velociùs: *D. Feſta* exiſtimat in iis, qui ſolùm quinquies balneant vix cutem emolliri, ideóque ad minimum decies vel quindecies balneandum eſſe: aſt ille potiùs in favorem Badenſium civium, quàm medicè effatus eſt: meliùs enim ex euphoria & coindicantibus, &c. quàm numerô res deciditur.

§. LV. Statutô generalî curationis tempore quavis die ſtudebit patiens, ut, quàm maximè poteſt, remotîs â cibo aſſumpto, vel aſſumendo horîs, balneum ingrediatur. Manè probantur horæ â quarta ad octavam, veſperi â quarta ad quintam. Videndum etiam, quibus ſemel & breviùs, & quibus bis & diutiùs balneare convenit: debiliores frequentiam & diuturnitatem non ſufferunt, robuſtiores raritate, & brevitate non levantur: matutino tempore ſit longior in aquis mora, pomeridiana brevior propter (§. 47. n. 3.) Ego quidem cum præſtantiſſimis noſtræ metropoleos Practicis ſpero, pluribus profuturum, ſi diebûs ſingulîs duæ balneo matutinæ dentur horæ, & alternîs unâ veſpertina adjiciatur ad ſummum, etenim qui contrà ſæpiùs diuturniúsque aquis inſunt, vix aſſumendi cibi tempus habent, vix exiccantur, jam rurſus madeſiunt, chyli diſtributionem impediunt, ſitim intendunt, exceſſivo potu diſcraſiam ac cachexiam non minùs, ac in febricitantium paroxyſmis, procreant: effloreſcunt, noctes ducunt inſomnes, & inquietas. (*vide inferiùs* §. 64. & 65.)

§. LVI. Neque jam illa conſideratio tantam requirit ſolertiam, an â principio ad finem eodem univerſa cura tenore ducatur, vel an aſcenſum, vel deſcenſum poſtulet? poſtremum tabulîs expreſſit *Feſta lib. cit.* ſed minùs rectè; non arithmeticîs numerîs ſe circumſcribi ſinunt innumeri ægrotantium caſus: vulgus amat generalia, at prudentis eſt, Medicum conſulere, temperamentum, ætatem, ſexum, idioſyncraſiam &c. religioſè obſervare. Quid? quod ab initio, & fine unâ horâ (ùt præſcribit *Feſta*) balneare, ſit tempus, & expenſum inutiliter perdere, quoniam ipſe ait (§. 54.) quod quinque balneationes vix cutem emolliant. In ſtatu verò (in dem Hoch-Bad) tot diebûs, horîsque præſertim à meridie thermis immorari quis conſulet: cutis nimis rareſit, minima tempeſtas, & frigidiuſcula etiam aura nocet, in continuo gravioris morbi periculo verſantur, quod experientia plurimîs illorum confirmat exemplîs, qui eo ipſo anno, quo maleſanum hunc aſcenſum, & deſcenſum in uſum revocârunt, periêrunt. Dum econtrà mortuum vix ullum reperies, qui noſtrum balneandi modum (§. 55.) eſt ſecutus.

D §. LVII.

§. LVII. Quisquis advena thermali ex cura fructum præstolatur, nec adventûs sui die, nec, quo abit, balneet, ut conturbati frigore, aut motu liquores in graves non exsurgant impetus. Deinde jejunus ne mergat corpus, ventriculum priùs assumptîs calidîs v. g. jusculîs, theatîs &c. foveat. Dum aquas ingreditur, fasciîs præcingat epigastrium & coxas, ut stomacho, & visceribus, quæ aliàs quasi pendere persentientur, prospiciat: in ingressu conbalneantes consuetâ formulâ salutet, submersîs axillîs collotenus thermas subeat, & ab omnibus iis, quæ interdictô caventur, aut honestis moribus adversantur, abstineat, non in aquas fortiter impellat, ne resiliens unda in oculos cum inflammationis metu incidat, non madefaciat caput, ne perfrigeratum catarrhum vel coryzam ploret, absint nimiæ vociferationes, ne fauces cum larynge doleant: fæminæ plumbô vestes suas onerant, capite ad venustatem comptô, sæpè cantu, sæpè ludîs, sæpè manibûs comprehensîs in gyrum ambulando fallitur tempus. Postquàm satis balneatum est, prior repetatur salutatio, desiccatus, & redux domum in lectum se componat, leniter sudet, & si durante cura se-& excretiones non legitimè procedant, arte promoveantur, clysteribûs, & suppositoriîs, si opus, est agendum, nocent purgantia, cibi acres, aromatici, saliti, muriâ conditi, acidi, fructus horræi, vinum Hungaricum, aut aliud fortius, vel gelu perfrigeratum, &c. Commotiones vehementes, comessationes, compotationésque cane pejus & angue fugiantur, eò magìs, si in seram usque noctem ventriculus copiosiùs, quàm par est, oneratur.

§. LVIII. Tandem absolutâ universâ curâ, sulphureus thermarum odor balneô aquæ Danuviensis â corpore eluatur. Ratione animi pathematum *Adolpho in differt. de fonte soterio Kukußensi pag.* 60. ita scribenti credite: *Exulet Venus ex hoc Nympharum domicilio, animum nunquam angat anxietas, non affligat cura, non molestet sollicitudo, metus non exterreat, non tremor concutiat, mala concupiscentia non abducat, non conturbet tristitia, mœror vitales vires non absumat, non contristet turbatio, ira, & impatientia non commoveat, potiùs spe, fiduciâ, amore, hilaritate, gaudiis, gratô amicorum conventu, & consortiô, honestîs jucundîsque colloquiîs, suavî concentu musicæ pascatur, & recreetur, atque licitîs illîs ac honestîs voluptatibûs fruatur, omnibûsque, quæ ibi undequaque ac quotidie offeruntur, & quæ ultra accedentes vel invitos invitant, oculos cupiditate morantur, ac desideriô trahunt.*

CA-

CAPUT QUINTUM.

Proponit usum, symptomata, & abusum Thermarum.

§. LIX.

AGam primò de usu, deinde symptomata, quæ balneantibus adveniunt, recitabo, tandem cum abusu Disputationem concludam. Cognitô agendi modô facilè est non solùm coindicantia, sed etiam indicantia ex contrariis in morbo eruere. Illa sunt ætas senilis, vires non ab inanitione nimis exsolutæ, temperamentum pituitosum, tempus vernum & autumnale ex (§. 54.) &c. *Hæc* sunt vel *causa morbi* v. g. navigatio diuturna, cælum pluvium, assumpta nimis humecta, & refrigerantia, evacuationes suppressæ &c. *vel morbus* ipse cacochymia nimirum pituitosa & serosa in quantitate peccans, cum fibrarum aliquali relaxatione conjuncta: huc totius curationis scopus collimat, ideóque quando, & quodcunque symptoma inde natales sumit, thermarum usum sive in, sive externum postulat. In specie *Monquentin loc. cit. cap.* 4. internè commendat in omnibus capitis, pectoris, abdominis, & uteri â causa frigida morbis v. g. dolore capitis per consensum, phthisi ex infarctu primarum viarum imminente, chylificatione læsâ, obstructione mensium, & sterilitate.

§. LX. Usus tamen externus sub balnei forma tum in iis morbis, quos enumeravimus, tum in sequentibus etiam, frequentior invenitur apud scriptores: cephalalgia, hemicrania, vertigo, tremor, memoriæ læsio, apoplexia pituitosa, imminens spasmus, tussis diuturna, asthma, obstructio mensium, hæmorrhoidum, hepatis, lienis, mesenterii: morbi intestinorum â lentore, colica pictonum, alvi fluxus chronicus ex atonia & crassitie glutinosâ: morbi mulierum ab uteri flacciditate, sterilitate, fluor albus, abortus, chlorosis, cachexia, leucophlegmatia, tumores œdematosi graviorem morbum subsequentes, omnésque alii, quos prædicta (§. 59.) cacochymia inducere valet, balneô nostrô levantur.

§. LXI. Speciali tamen observatione efficacia balnei dilaudatur, 1*mò*: in affectibus renum & vesicæ, præsertim tum gravioris inflammationis suspicione vacant, laxat, dolores lenit, tenacem calculi mineram attenuat, & per urinam sabulum cum lapillis nonnunquam copiosis educit, flatus, & urinæ suppressionem solvit, cujus historiam refert *Festa* de persona nobili, in qua per 15. dies contumax urinæ

ſuppreſſio omnium medicamentorum vim pertinaciter eluſit, & ſoli noſtro, ut ita dicam, panpharmaco ceſſit, quamvis in medio hyemis frigore contra conſuetam aliàs methodum (§. 24.) adhiberetur. *2dò*: prodeſt non ſolùm ad illam debilitatem, quæ poſt arthritidem & rheumatismum remanere ſolet, ſed etiam in iis, qui ischiaticîs doloribus nuper defuncti ſunt, reliquias mali extirpat, & recidivam multò majori jure præcavet, quàm *D. D. Geelhauſen de ſuo balneo Bechinenſi* tradit: rheumatismi certò & arthriditis frigidæ incipientis cauſam antecedentem & crudam, ſi remotô valde â paroxysmi tempore adhibetur, ita concoquit, ut, quæ aliàs in artus deponi debuiſſet, maturè per inſenſibilem tranſpirationem educatur. *3tiò*: in paralyſi & pareſi circa morbi potiſſimùm declinationem commendatur ab *Anemarino loc. cit. cap.* 4. ſive apoplexiam, violentam ligamentorum distorſionem, aut particularem aliquam reſolutionem ſubſequatur, ſive ab arſenicalibus & ſaturninis halitibus (ſicut in figulis expertus eſt *Ramazzinus*) oriatur; Saturnus enim principium nervorum ſtringit, & membris denegat influxum impetu facientis: cùm autem balneum partes flaccidas ita roboret, ut iis majus virium ſuperpondium addat, vincitur in capite conſtringentis cauſæ momentum, & ſalus recuperatur.

§. LXII. Altera balnei noſtri indicatio deſumitur ab exceſſu humoris ſeroſo-frigidi cum acrimonia ſcorbutica &c. conjuncti: propterea *Feſta*, & quotidianus uſus illud in ſcabiei, & cutis impuritatibus præmiſsîs tamen præmittendîs, commendat: *Wekerus* verò *in antitodario ſpeciali pag.* 16. aquas noſtras ex *Rulando* antegaſtas vocitat, & in ulceribus ferè omnis generis ſerpentibus, cacoëticis, & â frigiditate materiæ diſepuloticis, membris item ruptis, & contuſis utiles eſſe deprædicat. Easdem cum balneo vires in morbis particularibus exſerit lutum illud (der Schlaam) quod in ſcaturiginis fundo reperitur, ſi aliâ terrâ (*vide* §. 15.) non adulteratum ſit: coquitur in aquis thermarum & calidè tum ulceribus, tum tumoribus frigidis œdematoſis, poſt paroxyſmum podagricum in vegetioribus ſubjectis, nervorum contuſionibus, paralyſi & cæterîs (§. 60.) ſpecialibus partium malis ſuperponi poteſt.

§. LXIII. Intereà dum balneô levari deſideramus, ſæpè in novos morbos & œconomiæ animalis perturbationem incidimus, præprimis, ſi aut in diæta balneandi tempore & cæteris (§. 54. 55. & 58.) excedatur, aut non ſatis deliberatô Medici conſiliô cura ſuſcipitur: videbis paſſim illos potiſſimùm, quibus pauciori de gleba exiguos finxit artus, & præcordia Titan, ingentî torquerî ſitî, alios lippitudine, alios vertigine, alios horrore, inteſtinorum morſu &c. quorum omnium quamvis

vis manifesta causa in balnei vaporibus ejúsque principiis reponitur, nihilominus non æquè felix semper est eventus: sæpè sub vertigine latet apoplexia; sub exigua alteratione & capitis dolore, febris maligna, sub parvulo morsu, intollerabilis ex convulsione colica: ergo omnes, quiqui balnea frequentatis, quamprimum fallax adeò symptoma vos aggreditur, cavete, consulite vobis, prospicite corpori.

§. LXIV. Sæpissimè balneantibus infestum est efflorescentiarum aliquod genus & quosdam absolutâ balnei curâ, plurimos in actuali curatione adoritur, eósque ordinariè, qui habitûs calidioris, intemperantis diætæ, corpore non purgato, diutiùs & bis in die, statim ab assumpto cibo aquis insident, nec post quintam etiam balneationem intercalare ponunt intervallum: evenit enim, ut in quibusdam tardiùs rubor unam vel plures occupet partes, successivè instar erysipelatis augeatur, pruriat, cum tensione quasi ab urticatione ardeat, interspersîs nonnunquam refertîs serô vesiculîs: propter quas *Festa* exanthemata in rubra & alba dispescuit. Donec natura rectô progreditur tramite, non horror, non calor excessivus, non pulsus fortiter alteratus, non virium repentina debilitas, aut capitis dolor persentitur, ut adeò haud difficulter â quavis alia inflammatoria eruptione discernere liceat. At quamprimum aëri frigido corpus exponitur, aut ulterior balnei usus in integrum abjicitur, retrocedentibûs exanthematibûs ingens malorum prodit lerna, febres acutæ, mortésque repentinæ &c. Cura non tam internîs remediîs, quàm continuatô balneorum usu perficitur, sed alii tardiùs, & cum desquamatione cutis persanantur, alii adeò velociter, ut metuant retrocessum: sed panicus iste timor est; siquidem illorum cutis tenuior, post unam alterámve balneationem materiam peccantem evaporat.

§. LXV. Quæritur hìc: an efflorescentia hæc oriatur â causa morbi ab intro foràs propulsa? an verò merum sit productum balnei? mihi quidem utrumque posse fieri videtur: nam quamvis facilè concessero, plurimos balneantium ob causas (§. 64.) ideóque purè symptomaticè, tunc præsertim efflorescere, cùm mox â pastu balneum ineunt: chylô quippe crudô, ad sanguinem, & vascula cutanea nimis properè raptô, stasis fit, & cutis inflammatio; ùt rectè *Festa pag.* 43. *loc. cit.* dixerit, se etiam sanissimo cuique balneîs, & internîs medicamentis exanthemata procurare posse; dices, si exanthemata â thermis generantur, quomodo continuatô earum usu sanantur? Respondeo, prius fit abusu, posterius usu, illum (§. 56.) in ascensu & descensu culpavimus, & inter causas (§. 62.) adduximus, hunc (§. 55.) explanavimus, nam verum quidem est, quod apparente aliqua efflorescentia,

præ-

præsertim primîs diebûs, consultum sit illicò â balneo cessare, sed â pomeridiano securissimè, nunquam enim citiùs, quàm hoc pacto cum euphoria disparent exanthemata.

§. LXVI. Tantum de balnei usu ejúsque exanthematibus: sed qui balneum aut ob marcorem corporis, aut graviditatem, aut debilitatem, vel particularem idiosyncrasiam perferre nequeunt, si tamen ulceribùs, tumoribùs pedum, capitis doloribùs & cæterîs (ex causis anteà dictis) ægritudinibùs conflictentur, pediluviorum vim experiri poterunt. Verùm enim verò neque istis solùm cancellis includuntur elegantissimæ aquarum nostrarum virtutes, sed longè maximos etiam effectus ex ipsa embrocatione & laconico adipisceremur, si in usum revocarentur.

§. LXVII. Atque ut ab embrocatione ordiar, Ego quidem optarem ad eum modum, quem depingit *Franciscus Blondel* in seinem *Tractat* von Acher-Bad tanta altitudine construi, ut cum impetu aqua decidat, modicîs res sumptibûs eget, sed inde grande publico & ægrotantibus exsurgit emolumentum; effectus sanè non vulgares suadet pressio illa, quam repetiti cadentium aquarum ictus exercent, impetus semper in unum punctum directus, & quot guttæ, toties redintegratæ spirituum, calorisque copiæ, agnovit jam olim sensum nostrum prudentissimus *Anemarinus libr. cit. capitul.* 4. & effectus in morbis frigidis spopondit eximios, sed surdis cecinit fabulam: nostro hoc tempore plus sperare licet; dum solertissimæ senatus Badensis vigilantiæ balneorum cura commissa est. *Adolphus in dissert. loc. cit. pag.* 51. enumerat admirandos embrocationis effectus, quibus pares, sine dubio majores, â thermis nostris sortiremur, impactos perfrigidósque ex alto humores evocat, inveteratos tumores solvit, scirrhi, strumæ, tophi, ganglia, hemicraniæ, & vertigines, & atrophiæ, & paralyses, & dolores profundi, contumacissimique partium. Incurabilia passim mala persæpè sanabuntur, dummodo in partem convenientem, suturas, articulationes, membrum affectum (pro rei exigentia paratô priùs per curam universalem thermarum, &c. corpore) instituatur. Sperati effectûs signum præfatus Author statuit, si ad partis affectæ penetralia aquarum caliditas penetrâsse sentiatur. Symptoma verò, quod communiter advenit, est somnolentia, quam facilè adstantium discursus & cantus, &c. fallet.

§. LXVIII. In surditate profectò & debilitate cerebri, embrocatione nihil esse nobilius, etiam post centum remediorum usum ex *Penoto* putat *Riverius lib.* 3. *cap.* 1. *pag. mihi* 262. quam ita describit: *æger spongiîs magnîs consutîs velut cucupham ferat in capite ad supercilia & infra aures descendentem,*

tem, sedeat sub canali balneorum, & versô epistomiô aquam accipiat, quæ absorpta spongiîs caput continuo calore suo fovebit, atque omnes capitis suturas, auriúmque commissuras deducens, atque aperiens, vapores tollet, vel materiam impactam nervis, viîsque auditoriîs resolvet per halitum, aut adeò mutabit, ut brevi sit abitura: bis de die ita sedere cum convenit, ad duas horas, ac deinceps statim jacere in lecto, diætámque adhibere tenuem, ex succis, & jure carnium, &c. vinô nisi oligophorô planè abstinendum: Verùm hæc pro circumstantiarum ratione quivis Medicus facilè variare poterit.

§. LXIX. Alterum, quod in thermis nostris deesse videtur, est laconicum in scaturiginis crypta: tam opportunum, accommodúmque locum non invenies, licèt omnes totius Germaniæ soterios fontes peragraveris, non balneatorum stuphîs, non spiritûs vini vapore indiget Bada, naturæ artificiô omnia parata sunt, calor ingens (*vid. prolegomena*) & spiritus minerales. *Hoffman. in med. rat. syst. tom. 3. pag.* 632. solô aquæ calidæ vapore durissima animantium ossa, & cornua emolliri ex coquorum & Pharmacopœorum experimento affirmat, quid non nostrum operabitur laconicum, tubulos subcutaneos reserabit, partes duras emolliet, rigidas & ex congestione tensas laxabit, tenaces humores solvet, in anasarca, oedemate, hemiplegia, tumoribus testiculorum, ani & uteri prolapsu &c. insignes edet effectus.

§. LXX. Nil sanè prodest, quod non lædere possit idem, subesse enim & hìc, ùt semper alibi, alius error potest, verba sunt *Adolphi loc. cit.* In inveteratis nimis & pertinacissimis morbis, ubi tota, ùt asserunt, natura prorsus corrupta est, humores summè depravati, tonus penitùs labefactatus, inutiles, & inanes thermæ sunt: nam omninò in universum non tantùm secundùm activitatem suam agunt, sed & receptivitatem. Igitur quamvis potus thermarum secundùm *Anemarinum* asthmaticis, ac pectus humidum, viscosúmque habentibus ob attenuationem prosit, attamen stomacho subitò providendum, quid ferre possit, & quid ferre recuset; neque tamen ob levem nauseam, vomitum, aut delicatulam patientis apprehensionem subitò desistendum est; idiosyncrasia spectanda, & simul observandum illud *Hippoc. sect.* 2. *aph.* 52. *omnia secundùm rationem facienti, si non succedat secundùm rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est.*

§. LXXI. Universaliter balneum nostrum nocet 1*mò*: ubicunque cacochymia biliosa volatilis cum strictura toni prædominatur, sic in subjectis exsuccis, iracundis, febribus continuis, paroxysmis intermittentium, contracturis, spasmis, & convulsionibus &c. â causa calida lædit. 2*dò*: ubi dissipatîs spiritibûs viscositas humoris magìs fixatur; ne v. g. ex cephalalgia cephalæa, hemicraniâ apoplexia, ex inflammatione

matione scirrhus, & ex podagra incipiente nodosa, si quis paroxysmi tempore balneat, producatur. 3*tiò*: ubi ex nimia agitatione majus metuitur malum, quemadmodum in vertigine diuturna, & forti apoplexia: in Epilepsia casus, in ophtalmia cæcitas, in phthisi, ascite, tympanitide, & hydrope pectoris suffocatio: in hæmoptoicis, dysentericis, aliísque hæmorrhagiis narium, uteri, hæmorrhoidum, vomitu cruento &c. nova fortiórque cum prostratione virium paroxysmi exacerbatio, in gravidis abortus, in atrophia marasmus, in scorbuto calido ulcera depascentia, in lue venerea inflammatio & caries, in podagræ inveteratæ, & nodosæ paroxysmo repercussa materia ad partes interiores, in cancro occulto exulceratio, in exulcerato ferocitas depascens, seu noli me tangere meritò metuitur.

§. LXXII. Gravissima hactenus mala enumeravimus, propter quæ non temerè, non recreationis causà, sed summa cum præmeditatione secundùm sapientissimum *Michaëlis Savanarolæ* consilium thermas ingredi deberemus: *magna*, inquit, *in excipiendis balneis esse debet observantia, quoniam neglecta cùm fuerit, homines sic facilè ad pravas perducunt ægritudines, tum quoniam magna veneratione digna sunt. Obsecro itaque, & vos obtestor, qui balneorum beneficiô gaudere cupitis, ut in eorum observando cultu tanto cum periculo, támque cum prava negligentia vos non comprehendat, ne, quod indebitô regimine vestrô vobis contingit, illis attribuatis: est enim balneum sanctuarium quoddam magno honore dignum.*

§. LXXIII. Attamen non exiguum fortassis muliercularū numerum temperamenti calidi, faciei vividæ, & diætæ lautissimæ comperies, quæ sterilitatis causà, ùt ajunt, balneantes singulis ferè annis thermas, at nescio, quo consilio! frequentant; *Glauberus de felicitate Germaniæ part. 5. pag. 70.* hâc super re multò severiùs mentem suam exposuit: audite, *amant thermas juvenculæ, quæ apud suos effetos, & annis obsitos maritos tantum caloris non offendunt, ut gravidæ evadere queant, in thermis occurrunt quovis tempore agiles, & robusti, & succi viriúmque pleni socii, qui procul dubio eum in finem in dicta loca se recipiunt, ut frigidis illis mulierculis calida suppositoria, & emplastra uterina fertilitatis conciliandæ, & sterilitatis amovendæ causâ applicent: ejusmodi mulierculîs pristinæ valetudini restitutîs, & domum reversîs post aliquot menses mariti comperiunt, quàm efficax thermarum usus in uxoribus suis fuerit.*

§. LXXIV. Hæc sunt, quæ jubente Inclyta Facultate medica aliquot septimanarum spatiô pro tenuitate ingenii mei contrahere debui: experimenta ea fide, qua scripsi, repetitîs vicibûs inveni, & inventa omnium oculis humiliter spectanda defero. Non tamen is sum, ut putem, nunquam subesse varietatem aliquam, hyeme fortassis aliter res se habet, multa desunt, quæ si debitô tentarentur tempore, abstrusam magìs, magísque in apertam deducerent veritatem: remotus â thermis habito, sæpè scrutandi, dum fertilis incidit cogitatio, deest occasio: Tyro sum medicus, non eam, quam solidæ ibidem scientiæ physici possident, artis chymicæ notitiam teneo. Desudârunt aliquot abhinc sæculis desuper Viri Doctores, quid Ego imbecillis potero phyliater. Profectò ni obedire sanctiùs sit, quàm refragari, nunquam similes ausus meum in animum induxissem. Igitur L. B. si quid minùs rectè â me dictum est, compatere debilitati meæ, emendare non abnue, simúlque cogita, ab eo scriptum esse, qui scribere timuit, debuit, pro rei magnitudine exiguum meditandi tempus habuit, obedivit.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA DE USU ET ABUSU CROCI AUSTRIACI

QUAM
PROPITIO SUPREMO NUMINE
DECRETO, AUTHORITATE, ET CONSENSU PERILLUSTRIUM, MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM, PRÆNOBILIUM, EXCELLENTISSIMORUM, atque CLARISSIMORUM VIRORUM &c.
Perillustris, Magnifici, ac Consultissimi Domini Universitatis Rectoris, Prænobilis, Spectabilis, Clarissimi, ac Excellentissimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæsar. Regiæque Cathol. Majest. Dominorum, Dominorum Consiliariorum, & Archiatrorum, Professorum &c. adeóque totius amplissimi

D. D. MEDICORUM COLLEGII
IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE VIENNENSI
PRO DECERPENDA DOCTORATUS LAUREA
Publicæ Ventilationi submittit Author

JACOBUS BERNARDUS ANTONIUS RAUCH,
Austriacus Viennensis AA. LL. & Philosophiæ Magister, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, approbatus, nec non pro Suprema Laurea Candidatus,

IN PUBLICO DD. MEDICORUM COLLEGIO
Horis post meridiem consuetis, Die 31. Mense Julio Annô MDCCXXXII.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Andreæ Heyinger, Universitatis Typographi.

AUSTRIACO
PRINCIPI
DIVO
AUSTRIACO
CROCUM
AUSTRIACUM
Dicatum, Dedicatum, Consecratúmque vult.

Austriacus Viennensis.



Sectio I.

Croci Etymologiam, Culturam & Differentias exhibet.

§. I.

UT Croci, Vegetabilium Regis, venuſtatem pleniùs exprimeret Poëta, nomenclaturam à Croco Puero, in florem ſui nominis converſo, deſumpſit, atque l. 4. metam. ſequenti carmine depinxit:

Et Crocum in parvos verſum cum ſmilace flores

Huic ſubſcribere videtur Galen. l. 9. de comp. med. qui de Croco Puero, cujus ſanguis in hunc florem verſus ſit, idem refert. Recedimus ab hoc ingenioſo Ovidii commento, & eorum opinionem in medium adducimus, qui ab Urbe Coritio, quòd ibi præ cæteris locis copioſior progerminaverit, croci nomen derivant. Nonnulli ob ſimilitudinem figuræ, quæ inter ejus ſtamina & fila intercedit, crocum â κρόκη, quod filum deſignat, derivatum volunt, & quanquam diverſiſſimis rebus impoſitum ſit hoc nomen, noſtri tamen ſolummodò fori eſt, unius croci ſpeciei, ex regno vegetabili petitæ, anatomen inſtituere.

§. II.

QUare nos, quibus hodiedum de Croco Auſtriaco diſſerere incumbit, ejus culturæ præmittimus perfectæ plantæ deſcriptionem, & intelligimus, plantam in inferna ſui parte habentem bulbum rotundum, dulcem, internè album, externè ex fuſco rubentem, ex multis lamellis, ùt

in cepis observare licet, sibi invicem mirè intricatis contextum, capillarî circa basin involucrô conditum. Media ejus pars ex quinque aut octo foliis longis, capillaceis, angustis, planis, non tamen rotundis, narcissi juncifolii (gallis jonquille dicti) modô, sed numerosioribus constructa est; inter hæc caulis conspicitur brevis, cujus supremæ regioni insidet flos purpureo-cæruleus, colchico flori similis, stamina terna, aut quaterna, nonnunquam quina, flammeo rubore, fragrantíque odore insignita, in sinu suo includens.

§. III.

PRoposita perfectæ plantæ delineatione via nobis detecta est, qua feliciùs perspicere possumus, quomodò crocus noster in agris Austriacis colatur. Oeconomici solum leve, radiis solaribus undique & undique expositum (inde vix non semper in medio agrorum hos hortulos consitos spectamus) neque compactum nimis, neque torridum, neque nimia pinguedine luxurians, ab aquarum inundatione securum, atque ab inutilibus herbis immune seligunt. Fit autem propagatio croci in nostris in terris per bulbos, qui tempore æstivo inter festum S. S. Joannis Baptistæ & Jacobi Majoris eruuntur, & colliguntur, in autumnum usque in conclavi nullâ terrâ obvoluti, ínque aëre relicti asservantur, procul tamen à radiis solaribus, ne coquantur, sed solùm ad pleniorem ut perveniant maturitatem. Admiratione dignum est, quòd, si à natura illis destinatum adsit maturationis tempus, nonnunquam aliqui in horreis florescant, crocúmque progerminent, id, quod etiam in nostra civitate Vienna, dum bulbos ultrà consueti temporis terminum in cubili detinuerunt, à quibusdam observatum fuit. Hi tamen bulbi ùtplurimùm corruptioni, experientiâ teste, postmodùm subjacent, ideóque, quamprimùm maturescere animadvertimus, terræ committantur, necesse est.

§. IV.

Appropinguante jamjam tempore, quo sol Virginem ingreditur, extremâ membranâ ablatâ, & ab omni prorsus immunditie liberati, in terram ad semissem pedis reponuntur bulbi per sulcos æquales interstitiô unius palmi, positîs seorsim, si lubet, majoribûs croci cepulîs, seorsim itidem minoribûs, terráque obteguntur. Succrescit planta, atque radices agit, usque dum post æquinoctium autumnale, anteaquam folia proveniant, concipiat flores, Colchico similes, è purpureo cæruleos,

ac

ac aſpectû jucundos; è medio rubra prodeunt, & aureo colore nitida ſtamina in craſſiuſculum cacumen deſinentia. Quemadmodùm non uno, eodémve tempore floribûs ornantur bulbi, ità neque flores decerpantur, priuſquam ſtamina perfecta apparuerint: Neque diutiùs ſub ſole linquantur, ne ob ardorem virtutem amittant, exareſcántque. Eò verò tellus fæcundior exiſtit croci mater, quò temperatior eam aër ambit, inde nubilato aëre plantas aliquas binîs de die vicibûs flores & ſtamina progignere experimur. Ex decerptis floribus colliguntur ſtamina, & ab impuris partibus ſeliguntur, deìn ad locum temperatè calidum deferuntur, ibidem ut humidum in iis ſuperfluum evaporet. Hôc perfectô, includuntur vaſi cuidam ligneo, & in loco temperato aſſervantur.

§. V.

His ornamentîs continuo ferè menſe ſuperbit crocus, & præterlapſo hoc tempore, diademate ſuo ſpoliatur, remanentibûs foliîs, quæ, ſpretîs etiam extremîs algoribûs, tota hyeme virent: exareſcunt hæc principiô æſtatis, ac reſecantur, pro pabulo pecudi inſervientia, id quod ſecundô & tertiô annô etiam præſtandum ſupereſt. Singulîs hîs annîs crocus nova ſobole luxuriat, ità, ut bulbus major duos, tres & quandoque plures ſecundô annô progerminet, idem & tertiô contingit. Nil peculiare hôc temporis moliendum eſt, herbæ inutiles è ſolo evellantur, bulbi terræ implantati permaneant, & ſic flores & ſtamina ſuaptè eruptionem metientur, Sin tamen hyemes frigore ſæviant, ut œconomici non abs re formident, bulbos perituros fore, hunc laborem ſibi ſummè commendatum habeant, ut ſolum fimô caballinô, aut nive ad ſpithamam contegatur. Utinam præteritô annô huic labori non pepercisſent croci cultores, modò ejus penuriam, non haberemus, quòd extimeſcamus. His addimus, quòd ſecundô annô felicior ſit & uberior croci proventus, tertiô econtra parcior.

§. VI.

Cùm autem idem terræ ſinus non ſufficiat ad continuò alendum & producendum crocum, & ob copiam procreatæ ſobolis (omnes enim relictæ intercapedines bulbis obſitæ ſunt) unus bulbus alium in corruptionem perduceret, neceſſe eſt, ut quaternîs annîs, æſtate ſcilicet, ùt ſuprà dictum, bulbi eruantur, mundentur, in horreis tota æſtate aſſerventur, deſiccentur, conſueto tempore in aliam tellurem tranſ-

ponantur, ubi omnia ea probè attendantur, quæ in præcedenti §o, ulteriores progressus enumerante, scripta sunt. Diversitas etiam bulborum, quæ majores inter & minores intercedit, quos posteriores die junge Zwibeln oder Züsätzl nostri appellitant, consideranda venit: Soboles, quamprimùm siccescit, à majoribus bulbis removenda, & separatim, quod meliùs nonnulli opinantur, per sulcos in terram reponenda est, prætereà ex minoribus alii primô, plures secundô, & tertiô annô, majores verò singulîs annîs flores concipiunt. Cæterùm, quod ad culturam attinet, tractandi sunt, ùt majores. Et hôc modô plantatus crocus sudetîs circumsepiatur, ut à ferarum impetu defendatur, forésque illis præclusæ sint.

§. VII.

NOn tamen unum, neque eodem tempore quævis terra alit crocum; quare ob indolem alius est sativus seu verus, alius spurius. Secundò differentia desumitur â tempore, quo iste vernus, ille autumnalis audit. Tertiò colore discrepat, siquidem alius cæruleum, alius album, aut flavum, aut variegatum præsefert. Quartò diversitas in floribus annotanda est, quando hunc plenîs, illum binîs floribûs, vel simplicî tantùm flore, eóque minore vel majore præditum conspicimus. Quintò differentiam observamus in foliis, ratione quorum unus latifolius, alter angustifolius denominatur. Sextò â solo natali, proùt in variis, ùt India, Africa, Turcia, floret regionibus, & varia recipit nomina; præter enim mox assignata loca alius habetur Anglicus, alius Gallicus, Hispanicus, Italicus, quorum tamen diversam virtutem, cùm ad nos, exceptô Gallicô, non devehantur, de iis sigillatim differere instituti etiam nostri sphæram transcendat, enarrare supersedemus.

§. VIII.

AUstria nostra fæcundissima. nobilissimáque existit croci genitrix, qui virtute, qua pollet, reliquarum specierum facilè princeps est, id quod *Matthiol. comm. in l. 1. Dioscorid. f. 62.* hîsce verbîs confirmat: *constat optimum esse, & Aquilanô longè præstantius, quod in Germania oritur, è Vienna Austriæ Metropoli devectum*, in hanc sententiam descendit *Hertodt: in crocolog. p. 13. & alii*, quæ autem in sequentibus magìs dilucidabimus, energiam croci nostri tum à priori, cùm à posteriori demonstrantes. Cæterùm crocus spurius plurimas involvit species, & dispescitur

citur in Autumnalem, & Vernum, & hic denuo in latifolium & tenuifolium, qui rursus differunt florum diversitate, quorum omnium, ut & croci montani descriptio evolvatur in Clus: Histor. rarior. plant. fol. 203. & seqq. Neque de floribus carthami differere animus est; cùm hæc extrà limites propositi nostri locata sint, quare ad illa, quæ Croci Austriaci naturam penitiùs declarant, nos convertimus.

Sectio II.

Principia & præparata Croci Austriaci investigat.

§ I.

CRoci indolem explanaturi, electionem ejus præmittimus, ut de bonitate constet, cùm ab hac principia activa optimè petantur, & inde præparata longè excellentiora evadant: eò magìs hoc necessarium duximus, quò sæpiùs crocus nunc staminibûs carnis bubulæ salitæ, nunc floribûs carthami, nunc lithargyrô, nunc aliîs admixtîs adulteratur, nunc etiam in locis subterraneis, ut ponderosior fiat, asservatur.

§. II.

AD bonitatis autem notas probè dignoscendas sequentes nobis Authores tradunt regulas: Primò ne sit pulverulentus. Secundò ut color in capreolis quodammodò ad candorem inclinet. Tertiò ut sit odoris fragrantis, etiam in distanti spatio perceptibilis. Quartò ut linguam activîs suîs partibûs feriat. Quintò si manipulus ejus faciei admoveatur, pruritum in palato, oculísque concitet. Sextò ne situm aut alium peregrinum odorem spiret. Et septimò tandem, ut madefactus notabiliter manus inficiat. Et hîs cancellîs includitur croci bonitas, qui aliud non est, quàm florum stamina (græcè κροκίδες vocantur) purpureo & aureo colore radiantia, saporis subacris & subamari, odoris fragrantissimi, & quodammodo etiam narcotici: ob has qualitates activas & exaltatas sibi facilè principem præ aliis croci speciebus vendicat locum, & inde est, quod stamina sola in usum medicum trahantur, ac ob excellentiam croci nomine donentur.

§. III.

§. III.

SI Veterum placita perlustremus, crocum in primo gradu siccum, in secundo fore calidum edocemur vid. Dioscorid. l. 1. c. 25. p. 28. Lobel. observat. Stirp. f. 68. Matthiol. comm. in l. 1. Dioscorid. p. 72. qui ex Galeni l. 7. simpl. med. sequentia adducit: *Sed superat in eo calefaciens & qualitas & facultas, ut tota ejus essentia secundi sit ordinis excalefacientium, & primi exsiccantium.* Quis inficias ibit, in eo exorbitare salia volatilia alcalina? si vel solis naribus offeratur, non dicam, chemicæ operationi subjiciatur. Imponat, cuicunque libet, aquæ crocum, & paulò post eam colore tinget, odore donabit: ast hîs aqua non tam imprægnata est, quin mox iis, præprimis odore, privetur. Cujus rei rationem subnectimus, quòd salia volatilia, quæ quidem in aqua facilî negotiô solvuntur, ob subtilem suam indolem mox â compedibus sese liberent, avoléntque. Cui hæc enarrâsse non sufficiunt, adeat nobiscum Dispensatorium Viennense, & primo intuitu deprehendet acetum Bezoardicum & Theriacale crocô nobilitata fore, qua alia de causa? ac ut in destillatione horum liquorum subtiliores croci partes alembicum transcendant, & eorum vim resolvendi mirè exaltent. Si ulteriùs progrediamur, sese oculis objiciunt aquæ antiphtysica, asthmatica, lumbr. comp. spiritus theriacal. camphorat. spiritus asthmat. &c. de quibus idem, ac mox dictum, esto judicium. Littereà, cur pulverem alexipharmac. r. bezoard. commun. elect. antidot. theriac. androm. &c. ingrederetur, nisi activitate sua malignam materiam â centro ad peripheriam deduceret. Sed, ne susurrare quempiam audiamus, principia horum compositorum volatilia â croco minimè, sed â reliquis ingredientibus solùm petenda esse, huic sistimus essentiam croci, offerat palato, & linguam ferire, offerat naribus, & motum â subtili croci principio excitari experietur. vid. Hertodt. crocolog. fol. 38. ubi de sale volatili agit.

§. IV.

SImilia similibus solvi, regula est chemicorum: hinc, cùm de sulphure participet crocus, id optimè in sulphureum menstruum, nimirum spiritum vini deponit, ùt in spiritû croci, cum spiritu vini alcoolisat. per digestionem, cohobationem, destillationem parato, in elix. uterin. C., uterin. spasmod. W. & aliis abundè compertum habemus, & licèt hæc mediante croci sulphure in spiritu vini soluto efficaces producant effectus, nihilô tamen minùs insigni etiam sese virtute commendant alia præparata,

quæ

quæ crocus in ſubſtantia ingreditur, horum ſunt pil. de cynogloſſ. cum caſtor. elect. Philon. roman. pulvis anodyn. &c. quæ ſingula ob vaporoſum ſulphur anodynîs viribûs pollent. Hoc ſulphur ex odore narcotico, quòd unà cum aëre ad nares elevatur, manifeſtiùs dijudicatur. In hujus rei notitiam nos etiam deducit analyſis chemica, quando in deſtillatione croci oleum ſeu Sulphur croci aſcendit, conf. Hertodt. crocol. f. 38. 39. & fol. 47. 48. Nec obſtat, quòd in pauca quantitate ex croco eliciatur; cùm enim ſal volatilis acris intimiùs, arctiúsve cum blando oleo ſeu ſulphure combinatus ſit, horum nexus difficilî valde negotiô ſolvitur, hinc eſt, quòd in olei deſtillatione crocus facilè empyreuma contrahat, & comburatur. Quemadmodùm verò ex modò dictis elucеſcit, crocum ſulphure volatili eſſe dotatum, ità minùs ambigendum eſt, ei etiam ineſſe ſulphur fixum, claro hanc in rem nobis ſunt teſtimonio balſ. hypnoticum, elect. ſeu ſotirell. parv. & extr. ſeu laudan. opiat. quæ extractum croci ingreditur, non alio ex fine, ac ut horum compoſitorum vis anodyna potentior reddatur. Extractum autem croci, ùt ex inferiùs dicendis clariùs pateſcet, partibûs ſubtilioribûs orbatum eſt, inde ſequitur, mediante principio ſulphureo fixo id agere debere.

§. V.

SAlem fixum in eo deprehendimus, ſin reſiduas â deſtillatione ſpecies torturæ ignis ſubjiciamus, ut incinerationem patiantur vid. Hertodt. crocolog. f. 39. Hìc reprehendendi veniunt illi, qui ex ipſiſſimo croco per incinerationem ſalem fixum parare præſumunt, ſed imprudenti propemodùm auſu id ſuſcipiunt, cùm aliquot croci libræ, vix unam, alterámve drachmam ſalis fixi ſuppeditent. Nec videmus, cur tam ſalſum ſal ex croco eliciant, atque in uſum medicum introducere conentur, cùm præ reliquis ſalibus fixis, in curandis morbis nîl peculiare ſpiret, ſed ſolo pretiô differat.

§. VI.

IPſimet ſales fixi, cùm torturam ignis ſuſtineant, de terreſtri croci principio teſtantur, idem comprobant ſales volatiles croci, quorum copioſam præſentiam odor aromaticus fragrantiſſimus manifeſtat; ſiquidem, ne ſpirituoſæ partes divortium meditentur, neceſſarium eſt, ut à terreſtribus ligentur, detineantur, harum exiſtentiam præprimìs crocus

ignem perpeſſus demonſtrat, in quo principia activa reſoluta & in auram diſſipata, remanentibûs terreſtribûs, quod nobis deguſtantibus adſtrictoria vis uberiùs patefacit. Exemplo nobis eſt extractum croci, quod nîl aliud eſt, ac eſſentia croci ſicca per evaporationem & inſpiſſationem humidô viduata.

§. VII.

HÆc extractio & ſpiritu vini, & aquâ peragi poteſt; cuicunque enim menſtruo aquoſo, vel ſpirituoſo committatur crocus, virtutes ſuas illi concredit. Sed quo ſucceſſu? infelicî ſanè in extracto; ſiquidem ſive in aqua, ſive cum ſpiritu vini inſtituatur extractio, inevitabile eſt, quin per illam evaporationem ad extracti uſque conſiſtentiam plurimæ croci partes balſamicæ, ſpirituoſæ, volatiles â calore reſolvantur, avolent, deperdantur, quæ nec conſervari, nec redintegrari poſſunt. Sin hoc, ùt nemo dubitat, evenit, conſectarium eſt, extractum fore â natura croci quàm maximè alienum, non modò humidô, ſed & principiîs activîs utcunque viduatum, neque exſpectato in Medicina effectui reſpondere. Non denegamus hìc omnem extracto virtutem, iſtud & odorem quendam ſpargere, & linguam guſtu afficere, compertum habemus: præprimìs verò agit partibûs, quæ ſuperſtites manent, croci roborantibûs, & terreſtrioribûs, quibus effectus adſcribitur non contemnendus.

§. VIII.

QUemadmodùm verò in conficiendo extractum, partes ſubtiles & æthereæ fugam capeſſunt, remanentibûs terreſtribûs, ità è contrario in deſtillandis ex croco liquoribus partes ſpirituoſæ evehuntur, menſtruóque adunantur, relictîs in fundo potioribûs, roborantibûs, terreſtrioribûs. Ex quo elucet, crocum in ſubſtantia præparatis palmam præripere, cùm in iis vel hæc, vel illa deſint principia. Excellentior tamen reliquîs eſt eſſentia, utpote, quæ tum de tenui, cùm de terreſtri croci parte participat: Hanc encomiîs ſuîs celebrat Zwelf. in pharmacop. reg. f. 232. ubi ſingularem proponit conficiendi modum, tradítque, eam optimè ſpiritu vini & aquîs deſtillatîs parari, cujus deſcriptionem vid. l. c. Audiamus de eſſentia Zwelf. verba illius: *Nam etſi illam libenter cum deſtillatis tantùm aquis, nullo adjecto ſpiritu vini, conficere præcepiſſem: obſtitit tamen hoc, quòd eſſentia, iſto modo parata, ſubſiſtere ad tempus*

pus nequaquam possit, quin situm protinus contrahat, ad brevissimum tempus vix duratura. Hîs, spiritum vini ad parandam essentiam tantùm non conferre, Zwelferus clarissimè indicat, cujus rei ratio nobis esse videtur, quòd, cùm crocus potissimùm ex principiis salinis & terrestribus, quæ ægrè admodùm, vel planè non in spiritu vini solvuntur, conflatus sit, prorsus spiritum intermisisset, nisi corruptionem præcavisset, econtra sales partésque terrestres ad amussim in aqua solutioni obsecundant.

§. IX.

INfeliciori longè sydere oleum croci coctum Mesuæ, quod exhibet Zwelf. in animadvers. in pharmacop. Augustan. f. 318. in forum Medicum introductum fuit, sed, sapienti duce, judiciô, ab attentiori dispensatorio nostro relegatum est. Quid, amabo, oleis coctis volatilia addere juvat? ac, ut decoquendo de terrestrium partium consortio dimoveantur, ínque aëra disseminentur, relictâ inermî massâ, ad nullos debellandos morbos idoneâ, id quod præcipuè de oleo croci cocto tenet, spirituosa aufugere demonstravimus, superstites itaque solùm manent terrestres partes, quæ nullum effectum præstare possunt, cùm earum vim adstrictoriam oleum olivarum infringat. Neque mitiorem censuram promeretur elect. de ovo Maximilian. Imperat., cujus basin constituit crocus, â quo tamen vix ullam virtutem recipere potest, cùm tamdiu in testa ovi assetur, donec ea nigrescat, tandem massa eximitur, aërique, ad pleniorem subtilium partium jacturam, exponitur.

§. X.

AD calculos jam vocanda sunt principia, quæ prædominium obtineant, & quo ordine sequantur. Ad quod feliciùs enucleandum, subsidiô nobis venit analysis chemica, quæ spiritum acrem, parùm olei, multas verò partes fixas suppeditat. Statuimus itaque in genere partes volatiles, & fixas in croco æquilibrium tenere, & inde est, quòd velut medium fixum inter & volatile in quovis menstruo facilem solutionem patiatur. Sin autem accuratiorî trutinâ rem examinemus, potiores croci partes esse terrestres non diffitemur, quod in speciebus ex destillatione spiritûs crocati in fundo relictis observare unicuique licet. Secundum locum attribuimus principio volatili alcalino, de quo prolixiùs agit §. 3. hujus Sect. & ulteriùs sequenti Sectione ex effectu de-

demonstrabitur. Huic succedunt partes sulphureæ, de quibus vide §. 4. Agmen tandem claudit sal fixus, qui cùm itidem censuram suam §. 5. perpessus sit, de eo differere supersedemus, & benevolum Lectorem ad eundem pervolvendum invitamus.

Sectio III.

Usum Croci commonstrat.

§. I.

ADumbratô croci geniô, vires, usúmve, nobilissimi illius pharmaci, croci pulverisati perlustrabimus, qui Rex vegetabilium, aroma Philosophorum, imo panacea passim audit, & licèt â nonnullis vix non in singulis morbis, vel penitùs superandis, vel saltem demulcendis sat gloriosè deprædicetur, usus tamen croci vulgatis hisce laudibus non adeò correspondet, sed angustioribûs cancellîs circumscriptus est, hodiernâ in id consentiente experientiâ. Illud tamen & nobis fatendum est, non tam crocum, sin ægris in substantia offeratur, reliquis ex eodem compositis multîs parasangîs præire vid. §. 7. & 8. prior. Sect. quàm multis morbis suppetias ferre. Testantur id quotidianæ Eruditissimorum Virorum præscriptiones, suadet id ratio & experientia.

§. II.

ANtequam specialiorem croci usum ad liquidam veritatem exploremus, eum triplicem novimus, nempe Medicum, Culinarium, Mechanicum. Nos pro usu Medico rectè adstruendo sudabimus, Mechanicum ad mechanismum relegamus, de Culinario verò, ubi de abusu ex professo agemus, quædam verba faciendi, occasionem nanciscemur. Medicum denuo in duplicem classem dispescimus, quatenus & internis & externis morbis subvenit. Præmittenda pariter est egregii hujus medicamenti dosis, quæ â scrupulo semis ad scrupulum unum ascendit, quam si excedat, varia inde emergunt incommoda, inferiùs enarranda.

§. III.

HIs prælibatîs, â virtute, quam in vitæ fonte exerit, ordimur. Authores omnes uno ore fatentur, eum singularibûs cor exhilarantibûs,

tibûs viribûs insignitum fore: queîs ergo instrumentîs id perficit? nisi partibûs, quibûs præpollet, volatilibûs, alcalinîs, oleosîs, balsamicîs, & terrestribûs, quæ fibras roborando, vividum sanguinis circulum instaurant: unde liquet, cur tanti habeatur in syncope, ubi ob majorem sanguinis resistentiam fibra cordis elanguescit: cur in palpitatione cordis, à sanguine melancholico prodeunte, celebretur, quæ cùm à sanguine terrestriore, vel aliquantùm cordis renisum impediente, vel ad laudabile nervorum liquidum suppeditandum ineptô, & sic convulsivum cordis motum inducente, natales suos trahat, utique ejus usus quàm maximè proficuus est. Simili ratione etiam affectui melancholico medetur; dum enim sanguis lento pede progreditur, ei stimulos addit, ut velociori cursu in orbem agatur. Ex hoc simul patescit, cur venenis adversetur, quia nimirum sanguinis motum adaugendo, virulentam materiem à centro ad peripheriam deducit, ùt videmus in pulvere pannon. r. bezoard. commun. alexipharm. r. elect. orvietan. antidot. spiritu theriacal. camph. spec. liberant: quæ singula ad exaltandam eorum vim alexipharmacam crocus ingreditur. Hinc non immeritò ob vires eximiè analepticas aurum vegetabile nuncupari solet, & medicamentis corroborantibus, cordialibus dictis, tum magistralibus, cùm etiam officinalibus admiscetur: Posteriorum sunt Ess. croc. aquæ cord. temperat. de cord. cerv. pro epithemat. cord. spec. lætificant. cordial. temp. diaolibani, bals. vit. syr. è pom. reg. sapor. quæ exhilarando cordi dicata sunt.

§. IV.

NOn secus ac Rhabarbarum anima hepatis, crocus Authorum suffragiîs anima pulmonum audit. Tanta enim illius est energia, ut, testante Dodonæo, phtisicos in summo vitæ discrimine constitutos, & propemodùm animam agentes, in vitam revocare queat, si â scrupulo semis ad scrupulum unum in potu vini dulcis vel generosioris ægris propinetur: & non abs re; siquidem eò temporis pulmones summâ atoniâ laborant, quæ non tam copiosiori humorum affluxui, & stagnationi ansam suppeditat, quàm circulum sanguinis suffocare minitatur. Huic autem pulmonum debilitati præsentaneum auxilium adfert crocus in vino exhibitus, qui & stagnantes humores dissipat, & pulmonum lobos vigore donat, sícque vita mortalibus ægris ad tempus prorogatur. Feliciori verò manu propinatur, sin maturiùs cum aliis remediis in usum trahatur, utpote cùm principiô volatilî & paucô fixô humores in pulmonum substantia collectos resolvat, & discutiat, principiô sulphureô oleosô balsamicô: ul-

cus detergat, partibûs denique terreîs roboret, ulteriores humorum affluxus præcaveat, vulnúsque consolidet. Unde Dispensatorium Viennense antiphtisicas compositiones crocô nobilitat, ùt aquam antiphtis: aquam capon: quam Christoph. Wirsung. part. 2. c. 5. in phtisi, præsertim infantûm extollit. Non minorem in thoracis affectibus à causa frigida, ùt veteribus placuit, oriundis efficaciam præstat, viscidum resolvendo, concoquendo, & expectorationem promovendo. His adfectibus præfatum Dispensatorium destinavit Elix. pector. à Celeberrim. Wed. nobis relictum, efs. pectoral. saccharat. Pil. d. ammoniac. pulverem pector. loschian. catarrhal. cum spermat. cet. Pil. bals. Morton. quæ in tussi, raucedine, asthmate pituitoso, aliísque pectoris adfectibus, à lympha stagnante provenientibus, non mediocres laudum titulos promerentur. Hac ratione in decremento pleureseos, ubi tussis urget, & sanguinis stasis ex integro non dissoluta fuit, ùt & peripneumonia mirè conducit, vid. Frid. Hoffmann. Medicin. System. ration. tom. 4. f. 435. ubi eccleg-mati suo crocum immiscet.

§. V.

SPeciatim verò asthmaticis ac dyspnæâ laborantibus crocum in vino dulci, vel generosiori commodè propinari, tum ex propria experientia, tum ex River. in institut. & Mynsicht. in armament. chymic. asserit Ettmüllerus in operibus Med. theoretico-pract. fol. 555. Alii cum oleo amygd. d. singulare remedium esse asseverant. Hertodt. in asthmate puerorum millepedes in vino cum croco & cinnamomo infudit, & modicô sacchari candô edulcoravit, hoc remedii genus certò certiùs paroxysmum è medio laturum fore, scriptîs suîs nobis reliquit. Nec dies nobis sufficeret, si ea omnia in apricum deduceremus, quæ ex croco in hoc affectu ab Authoribus passim commendantur, ea tamen enarrare lubet, quæ in officinis nostris prostant, inter quæ eminet spiritus asthmaticus, nunquam satis dilaudandus, qui olim in arcanis habebatur, & ob singularem efficaciam non solùm in-verùm etiam extrà paroxysmum in mixturis vel concentratis vel diffusis exhibitus, mira præstat. Huic succedunt aquæ asthmat. lumbr. comp. looch. d. scyll. seu ad asthma, quæ respirandi difficultati eximiam medellam adferunt. Selectus tamen hæc inter faciendus est, ut, quæ magìs spirituosa, asthmati pituitoso applicentur, quæ verò balsamica vi, spasmos demulcente, dotata sunt, ea asthmati convulsivo convenient. Ambobus in subsidium venit crocus, si enim balsamicam & anodynam virtutem spectes, eum effrænatos spasmorum impetus sedare,

facilis

facilis intelliges, si principia §. 3. 5. & 6. prior. sect. mentis oculis subjicias, eum viscidam lympham incidere, attenuare, & ad excreationem disponere, pulmones roborare, & sic stagnationem præpedire comperies.

§. VI.

CRocum hepatica virtute esse imbutum, perhibet Wed. in amænitat. mat. med. f. 171. & cum eo quàmplurimi alii, unde Hertodt. in crocolog. f. 189. infarctui hepatis prodesse statuit, ubi simul massam pilularum de am̃oniac. quam crocus exornat, non abs re commendat; si enim crocus, mediantibûs salibûs volatilibûs & pauxillô fixi, hepar aperiat, & juxta §. 3. partibus solidis robur largiatur, quo fluida feliciùs in circulum moventur, & ob majorem in solida appulsum impacta materia non secus, ac terra à pluvia, sensim, sensímque abluitur, ad obstructiones reserandas utique symbolum suum confert, & ob duplicatam hanc virtutem pilulas martiales ingredi, benè promeritus est. Præprimìs verò eum morbo regio mederi, Authores passim adstruunt vid. Croll. Basil. & Joan. Myllii antidot. Medico-chym. fol. 70. imo Allen in synops. univers. Medicin. pract. fol. 252. specificas eidem vires attribuit. Quibusvis remediis ictericis addendum esse judicat Ettmüllerus in operibus med. theoret. pract. f. 555. cùm egregium sit simplex, adeò, ut in expellenda, & hinc delenda icterode multùm valeat, cujus rei ratio in præcedentibus ad liquidum deducta est.

§. VII.

MOx ad primam officinam delatus, stomachica virtute sua jamjam agere, nemo non exploratum habet, dum debili ventriculi fibræ robur addit, & digestionem promovet. Theriaca smaragd. & confectio d. hyacinth. decantatissimæ illæ compositiones, quantam non possident efficaciam? Elixiria proprietatis, etiam per vulgus notissima, tinctura stomachica, spec. aromat. caryophillat. hier. picr. Galeni, miva cydonior. aromat. pil. Urban. seu papal. spec. dianis. de hyacinth. quantùm possint in roborando ventriculum, nullus est, quem lateat. Eundem effectum præstat ess. croci, præcipuè extractum vid. §. 7. sect. 2. unde pilulas balsam. aperit., quæ non tantùm aperiendo, & incidendo, sed etiam stomachum, cæteráque viscera roborando agunt, extractum croci nobilitat. Eò verò illustrior erit croci virtus, quò plura simul incommoda è medio tollit, nam ubi ventriculus doloribûs, ac spasticîs stricturîs divexatur,

xatur, anodyna vi, §. 4. sect. 2. saevientes spasmos placat, & principio roborante ultimatim naturalem tonum restituit.

§. VIII.

INde facilè assequimur, quî hystericae passioni succurrat, si hujus mali sedem & causam novimus. Vapores ac miasmata Veterum, non tam ex utero, quàm partibus vicinis elevati, è schola Medica exturbati sunt: sententiam, quae sub sensu globi variè moti, diaphragma versùs & cor, uterum ferri voluit, explosit peritior prioris saeculi anatome, dum uteri vinculum cum intestino recto, ac osse pubis ope ligamentorum latorum detexit. Highmorus, primus hujus phaenominis Scrutator, in ventriculo & intestinis sedem morbi constituit, quam opinionem ambabûs manibûs amplexi sunt Recentiores, tum videntes, quòd saepissimè uterus post mortem hystericarum prorsus insons & in loco naturali repertus fuerit, tum etiam considerantes, quòd viri, hypocondriaco affectu laborantes, hystericis similia patiantur symptomata, neque odores suaveolentes ferre possint. Moderni hîs rationibûs ducti, hoc malum ex impuro labefactatae digestionis fonte scaturire adfirmant; nimirum dum ventriculus, à causa antecedenti valde debilitatus, assumptos cibos justô diutiùs in sinu suo retinet, ii ob moram in massam acidam, acrem abeunt, ínque flatus resolvuntur, qui ventriculum & intestina mirè distendunt: & inde symptomatum caterva hunc morbum concomitari solet, tensiones hypochondriorum, spastici intestinorum dolores, inflatio ventriculi, ructus, & sexcenta alia, quae, etsi satis intricata videantur, priorî positô fundamentô felicissimè enodantur. Ea jam in mentem quis revocet, quae in fine §. prior. proposuimus, & crocum affectui hysterico optimè mederi agnoscet in elix. uterin. Crol. uterino-spasmod. Wed. extract. seu laudan. hysteric. Pil. d. cynogl. cum castor. pulvere hysteric. spec. diajov. ess. croci.

§. IX.

ANodynam croci vim comprobat sulphur vaporosum §. 4. sect. 2. descriptum, quod ad nervos deveniendo, liquidum nerveum inquinat, ejúsque motum animalem ad tempus sufflaminat, unde diversa, quae somnum accersunt, composita constituit, inter haec eminet extractum seu laudanum opiat: quod in sistendis acutissimis doloribus stupendae est efficaciae: Caetera sunt ess. anodyn. seu laudan. liq. à Sydenhamio concinnè

cinnè factum, & dilaudatum, extractum seu laudan. cæsar. diuret. elect. philon. rom. theriac. cælest. pulvis anodyn. & alia, quæ somnum invitando, spasmorum atrociam refrænant, & sopiunt. Ex hoc, ùt & roborandi fine optimum in dysenteria crocus est medicamen, hinc Zwelferus in pharmac. reg. pag. 231. ait: *Non est remedium in dysenteria ferè præsentius essentiâ, aut extractô croci &c.*

§. X.

PRo diversitate verò remediorum, quibus associatur crocus, Proteiformem induit naturam, ità ut, qui anteà anodynam vim spirabat, modò pellendi vires in corpore humano exserat, id quod etiam ex principiis §. 3. & 4. adstructis colligere est. Tantâ quascunque uterinas excretiones stimulandi facultate pollet, ut inter remedia utero dicata facilè primas teneat, urinæ fluxum potenter promovet, in mensibus & lochiis provocandis est efficacissimus, fætum vivum, æquè ac mortuum cum secundinis educit. Quòd speciali quadam energia in uterum agendi instructus sit, præter quotidianas experientias comprobat observatio Amati Lusitani, ubi fætus ob assumptum à matre medicamentum, cui crocus additus esset, in utero croceo colore tingebatur, hoc experimentum denuo in cane instituit Hertodt. vid. f. 279. & seqq. confer etiam M. A. N. C. Anno 1. observ. 60. p. 157. Cui fæminarum vis menses pellendi non innotescit? dum, quamprimùm una de difficultate mensium conqueritur, crocum cum herb. sabin. rorismar. fol. laur. &c. vino incoctum omnes uno ore commendant. Hanc croci virtutem uberiùs illustrat observatio Borell. centaur. 2. observ. 98. & centaur. 4. observat. 35. ubi equos, qui sacculos, crocô repletos, vehunt, mictum sanguinis incurrere asseverat. Neque dubitandum est, iisdem usibus inservire elix. menstrual. extract. emenagog. spec. diaborrac. pulvis ad part. ad distock. & pil. fætid. quæ prætereà uterum à mucidis impuritatibus liberant. Principia autem, quibûs hæc agit crocus, repetere supersedemus, petantur hæc ex præcedenti sect. Prudens præterquam Medicus nôrit, pro diversitate causarum crocum variis remediis admiscere.

§. XI.

NOn his limitibus sese includi patitur croci virtus, quin etiam externis partibus, præternaturaliter adfectis, auxiliô veniat. Quis ignorat, sin externis medicamentis ophtalmicis admisceatur, in iis facilè

prin-

principatum obtinere, & cum lacte adplicatum oculos ab acri inflammatione liberâsse vid. Lælium à Fonte consil. 27. præsertim verò in variolis insigne remedium ophtalmicum constituit, ubi in lacte muliebri, aut aqua ros. solutus, & oculis illitus, eosdem à variolis præservat, id quod quotidianîs experimentîs edocemur. Quare & remediis internè usurpandis inseri promeritus est, exemplo sunt Pilulæ lucis, quarum virtus, solo spectato nomine, in aprico est; siquidem, dum oculos ab obsessis humoribus liberant, nervorúmque opticorum obstructiones reserant, visûs aciem intendunt. Hîs pariter viribûs pollent pillulæ aureæ.

§. XII.

CRocum somnum inducere §. 9. sect. hujus dilucidavimus, externè idem præstat, si iis, qui agrypniîs laborant, sacculus crocô repletus supponatur, ut capite illi incumbant. Hoc remedium adversùs cephalalgiam, & vigilias nimias momentaneum levamen fert, ad eundem usum celebratur unguentum somniferum fronti ac temporibus illitum, cujus rei censuram sequenti sect. dabimus. Præstat itaque imitari Rulandum, qui tantillum croci cum aquis appropriatis e. g. aquis solan. ros. burs. bast. semperviv. &c. miscet, & epithema frontale efformat, ínque phrenitide & doloribus capitis deprædicat. Tale epithema, quo mania periculosa curata fuit vid. in Ettmüller. oper. Med. theor. pract. f. 556.

§. XIII.

NEque abest, quin crocus in epithematum forma cum aliis convenientibus remediis pectoris regioni admotus, cordis debilitatem eximiè sublevet, út in Aqua pro epithemat. cord. nobis experiri superest, & inde est, cur morosis, mæstis, ac melancholicis apprimè convenire, abjectos, animíque angore diffluentes erigere, Authores passim perhibeant, præsertim si nodulo cum camphora inclusus, de collo suspendatur; eo enim modo, quo internè, & externè, gradu tamen imminuto, agit vid. §. 3. huj. sect. Hoc assertum approbat Borellus centaur. 2. observat. 99. ubi refert, nobilem quandam mulierem tantâ melancholiâ, mæroréque adeò acerbô conturbatam fuisse, ut perpetuô flendi desideriô teneretur, gestatione croci super cor curatam esse. Cataplasmati, emplastro &c. commistus, & hypochondrio dextro impositus, pro re nata infarctos humores resolvere, induratum hepar emollire, ac roborare juvat, exemplo est emplastrum Santalinum, etiam incognitum dictum, cujus ingrediens constituit crocus.

§. 14.

§. XIV.

FOrtuito casu in notitiam devenimus, quî vomitu, ac morbô navigantium detentis mederi possimus, postquam enim pharmacum nullum prodesse voluisset, omnísque generis mortales, qui trans mare vecti sunt, hoc morbo conflictari debuissent, crocus, nobilissimum illud telluris germen, sponte suâ ægris miserrimè discruciatis, ut ejus virtus illustrior pateret, in subsidium venit. Ejusmodi historiam legimus apud Franciscum Baconem de Verulamio in histor. vitæ & mortis p. 211. de mercatore quodam Anglo, qui trans mare vectus, sacculum crocô repletum in sinum suum recondidit, ne ejus gratiâ vectigal exsolvere teneretur, & nullam, navigantibus aliàs vulgarem, sensit molestiam. Hoc duce exemplo navigantes feliciter præservantur, æquè ac præsens morbus propulsatur.

§. XV.

PRout verò crocus variis remediis sese comitem adjungit, varios edit effectus: in unguento pleuritico, dolorem pleuriticorum sedat, in unguento pectorali tussim mitigat, exscreationem promovet, &, cùm magnô pretiô vendatur, nonnunquam ejus locô, ubi res admittit, flores carthami substituuntur, ùt in pulvere fumal. matrical. videre est. ad erysipelatodes præterea & quoscunque tumores inflammatos, imprimis ad serosam in iis subsistentem portionem dispellendam, doloresque conjunctos sopiendos idoneus est. Ob hanc discutiendi vim, sanguinis sub cute grumos solvit spiritus vini crocatus, qui etiam extremitatibus manuum, pedúmque frigore ad imminentem gangrænam usque læsis, cum linteo adplicatus, admodùm conducit, & partes morientes denuo reviviscere facit. Quocirca, cùm externus ejus usus virtute non sit internô inferior, diversimodis haud rarò inseritur epithematibus, sacculis, cataplasmatibus, & emplastris discutientibus aut maturantibus, inter quæ eminet emplastrum oxycroceum, per vulgus etiam notum, quod ad contusa, ad abscessus duros emolliendos, & dissipandos, ad nervorum denique dolores leniendos dilaudatur. Quòd autem hos effectus producat emplastrum oxycroceum, extra omnem dubitationis aleam ponet ille, qui paulisper considerat ingredientium vires, quibus resolvit, discutit, vulnera abstergit, atque consolidat. In compescendis doloribus, contusionibus, & contorsionibus Chirurgorum non rarò est asylum, ut ab immanibus dolorum cruciatibus ægri leventur, præstaret tamen hoc in casu sæ-

piùs, unguinosas illas partes, quæ in tubulis aërem, corruptionis authorem, velut in carcere inclusum detinent, intermittere, & spirituosîs, tonicîs, & penetrantibûs uti. Ad vulnera itidem consolidanda meritò celebratur unguentum aureum, ob effectum, quem præstat, aureum, hoc nomine insignitum. Varia adhucdum, quæ ab Authoribus hinc inde in scriptis suis dispersa sunt, enarranda restarent, cùm tamen verum, de quo in præcedentibus jamjam nos abundè egisse judicamus, usum minùs attingant, ea luci tradere, supervacaneum fore indubitanter existimamus. Quare is, qui plura de croco noscendi cupedine ardet, adeat Hertodt. crocolog. & habebit, quod perlegat, integrum libellum, habebit sexcentas formulas diversis morbis adplicatas, quarum aliquas ad cœlum usque extollit. Nos, ne in majora volumina opusculum excrescat, filum præscindimus, & ad id, quod de croco dicere reliquum est, nos convertim s.

Sectio IV. seu ultima.

Abusum Croci proponit.

§. I.

SIn universæ materiæ medicæ campum attentioribûs oculîs pervagemur, nîl conspectui nostro sese objicere poterit, quod non suos pateretur manes. Quemadmodùm crocus, si debitam dosin non excedat, divinum propè est pharmacum, ità è contrario in majori, ac par est, dosi exhibitus, atro carbone notandus venit, dum deterrimam stragem corpori humano infert. Nam sive in usum in-sive externum vocetur, vî suâ, qua turget, narcoticâ & stupefactivâ caput aggravat, sensus reddit hebetes, gravissimum somnum inducit, totíque œconomiæ animali languorem conciliat. Hujus rei veritas variîs experientiîs stabilita est: Si tantillum croci vino admisceatur, illud citiùs inebriare, quàm aliud satis generosum, & homines admodum ebriosos reddere ex experimentis Ettmülleri habemus, & inde est, cur tam diversa somnum conciliantia remedia ingrediatur conf. §. 9. Sect. 3. & licèt in variolis vid. §. 11. Sect. 3. optimum sit remedium ophtalmicum, ejus tamen nimius usus hebetudinem oculorum affert.

§. II.

§. II.

SI equi crocum vehentes, ùt Doeringius refert, ex ejus vi, torpore obruantur, si ex solo continuato croci odore quidam temulentiam contrahere visi sint, facilè assequimur, quòd crocus in epithematibus, vel sub alia forma justô diutiùs capiti adplicitus, ad affectus soporosos, imo paralysin, apoplexiam disponat, & eos non rarò inferat. Tunc enim partes croci volatiles, quibûs jis abundat, non roborando, sed potiùs dissipando agunt, accedunt sulphureæ volatiles,& fixæ vid. §. 4. Sect. 2. queîs simul sumptîs tonicus cerebri motus labascat, atque deficiat, necessum est. Cautè itaque mercandum est, ne, dum patientes charybdim evitare quis satagit, eos in scyllam præcipites agat, id quod præcipuè in infantibus, & ægris nimis debilibus probè attendendum est, in quibus quidem dolores sopiuntur, sed unà motus fibræ sepelitur.

§. III.

OB hanc vim anodyno-narcoticam Mercator §. 14. Sect. 3. adductus, cùm diutiùs crocum in sinu suo detineret, prorsus è vivis discessit. Quod alio exemplô illustrat Borellus centaur. 3. f. 303. ubi refert de quodam famulo mercatoris, qui juxta magnam croci copiam in officina aliquoties somnum capessens, diurnóque tempore ibi laboribus suis indulgens, tantô inde capitis dolore, totiúsque corporis lassitudine correptus est, ut fatis omnino cesserit. conf. etiam Schenckium l. 7. observationum. Plures itidem hac super re historias nobis scriptîs suîs reliquit Costæus, ubi nonnulli, qui sacculos in quibus crocus asservatus fuit, capiti supposuêre, obortâ priùs insignî cephalalgiâ cum incredibili gravitate, demortui sunt. vid. Coler. l. 6. c. 71. f. 223. von dem Garten-Bau. Pariter si ultrà drachmas duas vel tres internè assumatur, hominem prorsus enecare valet, hæc autem de ejus dosi nimis excessiva dicta sunto.

§. IV.

CRocum ad expediendum menstruum negotium, omni exceptione majus remedium fore, in superioribus pertractavimus, tanto enim cum impetu, sin ampliorî dosî sumatur, menses nonnunquam provocat, ut ingens subsequatur uteri hæmorrhagia: Quod Riverius in institut. Med. l. 4. c. 22. confirmat, in scenam introducens mulierem, quæ ad

ad instaurandum mensium fluxum tantùm croci, quantùm 5. assibus coëmerat, assumpsit, successit inde nimium menstruorum profluvium, & intrà triduum cum lunæ tributo debitum vitæ persolvit. Non tacitus hìc prætercam pessimum nostratium mulierum morem, quæ cibos larga croci quantitate condiunt, iísque promiscuè vescuntur, sive tempore, quo menses experiuntur ritè fluentes, sive quo â leg itimo statu degenerant, & naturalem fluxum exsuperant.

§. V.

Dictu mira, & miratu dignissima res est, si croci effectus ad bilancem reducamus: jam roborare, jam anodynam vim exercere, jam menses movere, jam vultui pallorem obducere, jam cachinnos movere experimur. Hoc itaque peculiare sibi vendicat crocus, ut in excessiva quantitate internè sumptus, risum plùs quàm sardonium inferat, cujus vivum testimonium in Hispania vidit Hertodt. dum aromatarius quidam plurimùm croci in ollam carnes jurulentas continentem injiciens, post illarum esum in tantum est solutus risum, ut parùm abfuerit, quin medios inter cachinnos animam efflârit. Ad ultimum hoc phænomenon dilucidandum jam labor noster collimat. Lætis, & iis, quorum mens tranquilla est, risum oboriri exploratum habemus, hi verò utcunque sunt sanguineô, aut ex eo complicatô temperamentô dotati, quorum sanguis ad motus recipiendos aptus natus est, progressum sanguinis accelerari ex propinato in debita quantitate croco indicat §. 3. Sect. 3. Quid ergo continget, si in excessiva dosi assumatur, nisi major sanguinis motus, major adhucdum orgasmus? qui vasa genarum distendens, ibidem spasmum, seu risum, plùs quàm sardonium suscitat, & cùm eò temporis difficile per genas sit sanguinis iter, necessarium est, ut cruor â tergo premens in motu suo aliquantulum præpediatur, sícque in tenerrimis cerebri vasis inæqualem circulum nanciscatur, atque restagnet, inde hunc risum delirium concomitatur. Credimus itaque hunc risum præcipuè in sanguineis & cholericis locum adinvenire, non verò in phlegmaticis, in quibus abusus croci potiùs morbos §. 2. Sect. IV. recensitos infligit. Judicamus prætereà, si in magìs excessiva dosi sumatur, cachinnos minimè movere, sed idem fieri, quod §. 3. huj. Sect. dictum est. Eò jamjam navigavimus, ut tenuî judiciô nostrô nulla via pateat, quæ ad ulteriorem Croci Austriaci explanationem, de re gravis momenti agentem, nos deduceret. Quare vela dictionis nostræ subducimus, esto

F I N I S.

T. 565.6

CereVIsIa
AVstro-VIennensIs
MeChanICo-CLInICè
eLVCVbrata.

QUAM

D. T. O. M. A.

DECRETO, AUTHORITATE, ET CONSENSU PERILLUSTRIUM, MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM, PRÆNOBILIUM, EXCELLENTISSIMORUM, atque CLARISSIMORUM VIRORUM &c. Perillustris, Magnifici, ac Consultissimi Domini Universitatis Rectoris, Prænobilis, Spectabilis, Clarissimi, ac Excellentissimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæsar. Regiæque Cathol. Majest. Dominorum, Dominorum Consiliariorum, & Archiatrorum, Professorum &c. adeóque totius amplissimi

D.D. MEDICORUM COLLEGII
IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA
UNIVERSITATE VIENNENSI

IN INAUGURALEM DISSERTATIONEM

PRO SUPREMO LICENTIÆ, AC DOCTORATUS GRADU CONSEQUENDO

Publicæ Doctorum Disquisitioni submittit

ADAMUS JOSEPHUS BESNECKER
Noricus Egrensis, AA. LL. & Philosophiæ Magister,
Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, approbatus,
nec non pro Suprema Laurea Candidatus.

IN PUBLICO D.D. MEDICORUM COLLEGIO

Horis post meridiem consuetis Die 25. Mense Sept. Annô MDCCXXXII.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Andreæ Heyinger, Universitatis Typographi.

Virgini Matri,
Quæ Tenello *ei* porrexit ubera,
à Quo
Ipſa ſua recepit *viſcera.*
Vero Patri, non Genitori,
Qui omnes ſacravit *vires*,
ut ſecuris *acie* lucretur Cererem
ad depellendam
Nati increati maciem.
denique
Linguaci poſt mortem,
& elingui in vita
Thaumaturgo,
Quem immanis Tyranni *vis*
ſub aquis innocenter juſſit *jacere.*



PROLEGOMENA.



Siris Rex apud Diodorum Siculum lib. 1. ſiquæ tellus plantam vitis non aleret, primus docuit ex hordeo potum fragrantem, & jucunditate Vino haud inferiorem conficere: at Auſtria Inferior, quàmvis & aquarum ſalubritate, & vini bonitate multas antecellat Regiones, eâ tamen blandientis populi ſuperbit luxurie, ut, quisquis peregrinas liquor terras redolet, Studioſa imitetur, artísque adminiculo ingenti ſibi multitudine conficiat. Atque ut cæteros miſſos faciam, quatuor ſuprà triginta tum intrà, tum extra Diſtrictûs Viennenſis Lineas cereviſiæ excoquendæ furnos dicavit: in Urbe unum Hoſpitalis Civici: *ſex in Suburbiis: quorum alius* ad S. Marcum: *alius* ad Div. Margaretham: *alius* in Leopoldina: *alius* in Liechtenthaal: *alter* in Guntendorff: *alter* ad Turrim Caninam *conſpicitur. Reliqui extra Lineas in Pagis, Oppidis, & urbeculis extructi ſunt; quemvis ſuo nomine appellant in* Simmering, Eberſtorff, *tres in* Schwechat, Monswerth, Fiſchament, Lanzendorff, Zwelffaxing, Bottendorff, Schwandorff, Baden, Ortha, Schmida, Schelenhoff, Hochau, Sallenau, Thraumau, Bittermanſtorff, Loyperſtorff, Walterſtorff, Himberg, Hieteldorff, Stadl-Enzerſtorff, Horn, Throſt, & Stokherau.

His omnibus in locis nobiles elaborantur liquores, & ſub diverſis nominibus, ac particularibus Zythopepſarum additamentis

mentis modò tenuiores, modò craſſiores cujuslibet ad palatum, ſpeciali ex Privilegio Viennam advehuntur. Quin imò, quaſi multiplices alii, & proprii Auſtriæ furni impellente Vulcano tantum deſudare non poſſent, ut gulam omnium ſufficerent explere: Wratislavia, Praga, Ratisbona, Bavaricum Filzhoffium, *& quæ non Urbes in ſuppetias vocari conſueverunt.*

Profectò, ſi Principis Philoſophorum Ariſtotelis effatum lib. de long. & brev. vit. *indiſcretim verum eſt: vitam hominis in calido & humido conſiſtere, non habent* Viennenſes, *quòd interitum metuant: ſatìs enim caloris in vini lagenis, ſatìs humidi in cereviſia habent; ambo hæc ſunt ejusmodi:*

Quæ curas abigunt, & cum ſpe divite manant
In venas, animósque hominum, quæ verba miniſtrant:

ingens in ærumnis, & laboribus ſolatium! veluti

Cujusvis Medicina mali Medicina dolorum.

Verùm, quia nunquam tam bona Regionum, rerúmque indoles extitit, quam non aut intemperantia, aut avaritia, aut negligentia hominum corrupit, par fatum Viennæ incolis advenit: ſæpè effæta, mucida, rancida, acida, non benè cocta, indefæcata, aut maleſano cum exceſſu cereviſia bibitur, & in præſens vitæ diſcrimen amatores ſuos conjicit: ideo Inclyta Facultas Medica Viennenſis, *de Reipublicæ anxia ſalute, Mihi Inauguralis Diſputationis themagratiosè eſſe voluit, ut pro viribus* cereviſiæ ingredientia, conficiendi modum, Principia, uſum denique & abuſum *in apricum deducam. Lubens obedio: tu Lector Benevole parce debilitati meæ, & ſi quid minùs pro expectatione tua dixero, melioribûs benignè ſupplere non abnue; faciam, quantum potero: ſint omnia in DEI Gloriam, & Proximi commodum.*

CA-



CAPUT PRIMUM.

Proponit Cerevisiæ Ingredientia, & eorum Selectum.

§. I.



Iquorem, quem alii *apud Hermannum in Cynosura Materiæ Medicæ* beram, bieram, & vinum hordeaceum vocitant, nos Cerevisiam à Cerere frumenti Præside cum Plinio lib. 22. cap. 25. appellamus: cujus nomine intelligimus spirituosum, nutriénsque potulenti genus ex aqua, frumento priùs debitè parato, & lupuli floribus certâ encheiresi excoctum. Hoc variat ratione ingredientium, naturæ, qualitatis, quantitatis, & parandi modi: quare singula ordine prosequar.

§. II. Aquarum variæ sunt species *apud Hoffmannum Opusc. Physic. Med. de aqua Med. univers.* aliæ crassæ, aliæ duræ, aliæ subtiles, aliæ molles. *Crassas* in stagnis damnat *Hippoc. lib. de aëre, locis, & aquis*: rationem dat *Ovidius:*

Nam vitium capiunt, nî moveantur, aquæ.

Signum talium aquarum est, vel quòd saponem non facilè solvant: vel quòd spuma copiosa in coctione appareat: vel quòd, si carnes unà elixantur, rubescant &c. *Duræ* aut cum antecedentibus coincidunt, aut frigidæ nimis, ùt nivea, sunt, Martémve secum vehunt: sed hæ, quàmvis fermentationi minùs faventes (nisi diu depositæ paulatim intepescant) ad durationem tamen cerevisiæ multùm contribuunt propter firmiorem ex oppletis, vel constrictis poris consistentiam.

§. III. *Subtiliores* aquæ ad ignem reliquîs citiùs ebulliunt, & multum aëris in ſe continent, qui anthliâ pneumaticâ extrahi, ínque bullas elevari poteſt: quales communiter probant, & eſſe putantur fontanæ, fluviatiléſque per mundum, & arenoſum ſolum ſcaturientes; nam fermentant tum cum malto, tum in piſtrinis cum farina citiùs. Verùm ingens etiam ſubtiliorum aquarum eſt varietas: Martiæ extra Urbem in libero ab Urbanis fumis campo colligi debent, tantam effluviorum copiam non continent, & in longiſſimum tempus incorruptæ perſeverant, quod falsò *Julius Alexander lib. 17. cap. 8.* in ſolis efficaciam conjecit: hinc Zythopæus ad Turrim Caninam Martiam cereviſiam, quam Menſe Februarii excoxit, in cella frigida ad Mariam Auxiliatricem in Auguſtum uſque conſervavit. Contrà aquæ *Molles*, & impuræ, inter quas pluviæ numerantur, ſapidiorem quidem dant, ſed facilè aceſcentem: propterea ad imitationem *Boerhavii in element. chym. tom. 2. pag. 192.* ſubacidæ cereviſiæ ex his eleganter parari poſſunt.

§. IV. In tanta aquarum diverſitate invenire oportet notas quasdam ſylogiſticas, ut aquam excoquendæ cereviſiæ ſummè appropriatam ſpecialiter intelligamus. Apud omnes in confeſſo eſt, aquam in confectione cereviſiæ Menſtrui officiô defungi: ergo, quæ promptiùs ſolvit, majorem ex frumento energiam extrahit, & nullam peregrinam inducit qualitatem, eſt optima; ſed chymiâ teſte nullum menſtruum has rectè conditiones adimplet, niſi tepidum, modicô ſalis ſtimulô inſtructum, & purum ſit: ergo rejicimus omnes aquas egelidas, manifeſto ſapore, vel odore præditas, citò corruptibiles, graves, craſſas, & mineralibûs multùm imprægnatas; quarum pars per ſe innoteſcit, pars diuturna repoſitione, olei tartari infuſione, areometrô, & evaporatione.

§. V. Nos aquas puteales, ex quibus intrà Viennenſes Lineas cereviſia excoqui ſolet, areometrô, oleô tartari, evaporatione, aliíſque examinavimus, ùt in ſequenti ſchematismo videre eſt: ubi cujuslibet menſuram unam evaporare fecimus, &, quæ tabula exhibet, obſervavimus.

Aqua

Aqua	Demiſit Areometrum ad gradum	Lactefcebat ab inſtilato oleo Tartari per deliq.	Evaporata ex LL. IV. in menſura ſolidæ materiæ reliquit gran.	Hujus ſapor erat	Et ab olei Vitrioli nigri affuſione oriebatur fumus.	Dum illa rurſus ſolvebatur, reſtiterunt in filtro grana	Solutio prior denuò evaporata dedit ſalē, qui in plurimis ab aëre in deliquium ſolvebatur, ſimúlque
In Hoſpitali Civico	11	Nullatenùs	15	Frigido-amaricans	Levis	4	Super prunam ſpumavit, & inſtar ſevi diffluxit
Ad SanctumMarcum	10 $\frac{1}{2}$	Leviter	14	Amaro-dulcis	Nullus	3	Inſtar nitri phlogiſti modica ſui parte ſuper prunas accendebatur, ſpumav. ùt ſup.
Divam Margaretham	11	Nullatenùs	15	Terreo-falſus	Fortis, ultra mediam horam perdurans	7	ùt ad Sanctum Marcum
Turrim Ganinam	10 $\frac{1}{2}$	Nullatenùs	15	Terreus	Nullus	5	in igne ſpumavit quidem, ſed in corpus ſpongioſum degeneravít, neque in aëre ùt reliqui deliquatus eſt
In Guntendorff	9 $\frac{1}{2}$	Fortiter	16	Frigido-amaricans	Sat magnus	3	ùt in Hoſpitali Civico
Liechtenthaal	10 $\frac{1}{2}$	Leviter	16	Terreo-falſus	Nullus	6 cum albo-micantibus quaſi ſquamulis	Idem
Leopoldina	10	Nullatenùs	16	Terreo-falſus	Nullus	5 Cum iisdem ſquammulis ùt priùs	ùt ad Sanctum Marcum.

Probè verò obſervandum, nè aqua de ſe bona in receptaculis per negligentiam Miniſtrorum corrumpatur: etenim dum in quadam Zythopæa in lapideum craterem, quô aqua ex puteo hauſta aſſervabatur in proximam cereviſiæ coꝿuram, curioſiùs oculos conjicerem, vidi ingentem è betula ad vincienda dolia coronam: contentam pariter areometrô dimenſus ſum aquam, ſed dimidio gradu minùs demergebatur, quàm in puteo, ex quo deſumpta eſt.

§. VI. Igitur patet infidas eſſe aqueæ bonitatis regulas, quas religiosè ſervat *Timæus à Guldenklee reſp. med. pag. 157.* ſpeꝿando: an fontana, an putealis, an versùs ſolis ortum, an Septentrionem &c. ſcaturiat: quaſi verò ab orientali, vel Septentrionali plaga, & non ab ipſis ſubterraneis mæandris, quorum fæces eluit, & vapores ſuſcipit, aquoſa craſſities, vel puritas dependeret. Quin neque Hippocraticum illud Cryſtalliforme omnî nævô caret: vidimus enim Pirenwartenſes aquas cryſtalli inſtar pellucere, & tamen ingentem albicantis terræ corticem in lebetis latera deponere: *confer Liſterum de aquis medicat. angl.* námque puritas, quam §. 4. requirimus, non ad ſpeciem, ſed in ſe ſit oportet, ut operi noſtro ſatisfaciat.

§. VII. Sed quid ad hæc Zythhopæi? quorum experientia notum eſt, quòd in defeꝿu purioris aquæ, etiam turbidam, ſtagnantem, Lacuſtrem, vel planè paluſtrem braxandæ Cereri adhibeant: indéque liquorem non modò conſiſtentiâ tolerabilem ac ſubſtantioſum, ſed & palato gratum, ſapidúmque, ùt in *Guntendorff*, eliciant: quare neceſſe eſt, reſpondent illi, ut ſimiles aquæ craſſiores, & turbulentæ fortiorem, aut diuturniorem coꝿionis torturam ſubeant §. 18. quâ mediante crudiores earum particulæ alterentur, terreſtres ac heterogeneæ portiones ſeparentur, ac demum evaneſcente calore unà cum fæcibus ad fundum deponantur. Verùm enim nimis pro domo ſua perorant cereviſiæ excoꝿores, & ſpeciosô fucô tegunt errorem; facilè enim conſiſtentia à luto (ſubtraꝿô fortaſſis etiam maltô) conciliatur: deinde, licèt palatus fallaciam eorum non deprehendat, ſatis eſt, ſi viſcera §. 52. labem patiantur. Denique licèt aquas coꝿione meliores fieri non negemus, modicum tamen illud eſt, & multæ fæces commixtæ remanent, ùt ex præparatione balnei Altenburgenſis liquet: neque etiam præcipitatio in liquore craſſo & viſcoſo poſt fermentationem æquè facilè, ùt vulgò creditur, ſubſequitur.

§. VIII. Cognitîs aquîs, ad frumentum me accingo. Hoc varii generis eſt: triticum, hordeum, avena, ſiligo, milium, panicum, oryza &c. ex omnibus poſſet cereviſia quidem confici; ſed ab Auſtria-

cis

cis ſolùm priora tria in uſum vocantur; reliqua v. g. ſiliginem abhorrent propter noxas, quas in pectore producere dicitur. *Boerhaveus tamen tom. 2. elem. chym. pag. 191.* miſcet ad cereviſiam ſecale cum farina malti. Seligi autem frumentum debet, cujus grana è pingvi, nec multùm calcoſa terra progenita, aurâ tolerabili collecta, debitè ſiccata, recentia, benè matura, plena, gravia, intùs candida, & ita compacta, ut dentibus vix dividi poſſint, quæque aquâ macerata, aut cocta ocyùs intumeſcunt, & molliora evadunt: *ait enim Corn. Celſus lib. 11. cap. 18* firmior ex frumento potio, quò firmiùs fuit ipſum: ſiquidem immaturum folliculos inanes habet, humidum mucorem facilè contrahit &c. Optimum ad nos defertur ex Moravia: in Auſtria cis Danubiana creſcit mediocre, deterius trans Danubium. Cave, nè lolium commixtum habeat, atque peſſimô effectu totum negotium corrumpat.

§. IX. Tritici flava expetuntur grana: conſtant blanda viſcoſitate, ſeu ùt recentiores loquuntur: partibus mucilaginoſis, ſalino-ſulphureis, & terreſtribus probè mixtis, ſed minùs per alvum ſecedentibus, ex quêis oleum, ſi contundas, & in ſartagine torreas, exprimi poteſt. Suppeditant autem cereviſias albas, quarum uſum primus antiquitùs invenit quidam nomine **Brühan**. Deinde verò tres potiſſimùm indè confectæ ſpecies innotuerunt: prima ſimpliciùs paratur, & alibi ab inventore ſuo: hìc verò communiter *alba* (Weiß-Bier) per antonomaſiam audit: ſecunda *duplicata* eſt (Doppel-Bier) & plus tritici recipit. 3tia ferè exolevit, neque niſi aulæ juſſu confici ſolet, & *Vinaceam* (Wein-Bier) appellant, partim quòd ad quamvis urnam menſuras 4. vini cum fermento poſt coctionem ſuſcipiat, partim quòd aliunde naturaliter omnes triticeæ cereviſiæ ſaporem habeant dulcem, & leniter cum pari odore vinoſum, qui apprimè in juſculis exin paratis ſe manifeſtat.

§. X. Hordeum minùs firmam triticô, ſed multò temperatiorem mucilaginem habet, &, ùt quidam loqui amant, nitroſam. Nos in eo communes bonitatis notas §. 8. requirimus; at illud, quod craſſis modò corticibus, ceu ſcoriis convolutum, nec intùs mucilagine farinaceâ turgidum eſt, ſaginandis potiùs ſuibus, quàm tanti laboris coquendo nectari relinquimus. Antiqui & hodierni vel miſcent triticum hordeo apud Guldenklee, vel purum recipiunt, & copioſas rubri, ſive fuſci coloris conficiunt cereviſias; *vide Placotomum in Eoban. Heſſum part. 1.* harum Viennenſes ratione parandi modi, quantitatis, & additorum quinque habent genera: 1ma vocatur *albo-hordeacea* (Weiß-Gerſten-Bier/) hordei quantitatem mediocrem, &

 pecu-

peculiariter tosti postulat. 2da *fusca* (Braun-Bier) hordeum magìs torret, & lupuli plus suscipit. 3tia *Martiana* (Mertzen-Bier) à tempore, quô & deberet, & optima excoqui solet, dicitur: sed hìc tamen quovis ferè Mense nova conficitur. 4ta seu *aërea* (Lufft-Bier) subalbescit, & hordeum in aëre siccat. 5ta Einbock inter compositas, & aromatico-medicatas numeratur: siquidem melicratum, & aromata instar syrupi fermentaturæ cum fæcibus adduntur. Nonnulli *aëream* Zingibere, nuce myristica, baccis lauri, rosmarino &c. ita fucant, ut vix nisi peritus ab hac discernet: nihilominus Einbock crassior, & saturatior est cerevisia, illa tenuior, & mollior. Notandum: omnibus hordeaceis cerevisiis singulare esse, ut quò meliores, eò magìs albidis spument bullulis, secùs corruptioni sunt proximæ.

§. XI. Avena mucilaginem hordeô minùs flatulentam, sed pauciorem copiosas inter terreas partes custodit. Ex hac nulla cerevisia Viennæ, imò & in Austria Inferiore excoquitur: si gemina loca Horn/ & Trost exceperis, unde subacidæ propter admixtum cremorem tartari cerevisiæ titulô Hornensis, & Trostensis advehuntur.

§. XII. In Lupuli floribus resinoso glutini sal fixus, seu amarus cum pauco volatili includitur. Optimi Satetzio prope Thermas Carolinas è Bohemia Viennam deportantur: sint maturi, recentes, admodùm suaveolentes, locô umbrosô, & nemorosô producti, debitè sicci, & mundi: nulla hoc tempore cerevisia est, quam non ingrediantur, sed triticeas utpotè dulciores minori sui copia: majori hordeaceas, & hinc ferè earum amaritudo, color saturatior, & longior duratio dependet. Quidam Lupulum à cerevisiis arcere, aut saltem ejus vices conyzâ, menthâ, serpillô sylvestri &c. supplere contenderunt, sed frustrà: nam vel deficiente resinosa vi citiùs acor subsecutus est, vel invicem satìs misceri non poterant, vel deterior eventus satìs docuit, quæ in cerevisiis gloria Lupulo debetur.

CAPUT SECUNDUM.

Proponit Cerevisiæ Viennensis parandæ & conservandæ modum: illiúsque diversitatem.

§. XIII.



CElebris in limine occurrit quæstio: an antiqui in Cælia, Curmo, & Zytho eandem adhibuerint methodum, ac moderni in sua cerevisia excoquenda? *Tacitus de morib. Germ. cap.* 23. asserit: fuisse potui Germanis: *Humorem ex hordeo aut frumento*

mento in quandam similitudinem vini corruptum: quem *Athenæus lib. 1. &* *10:* ideo vocat *vinum ex hordeo.* & *Isidorus lib. 12. cap. 2.* nomine *siceræ* comprehendit. Idem etiam apud *Herodotum in Euterpe* videre est. Hinc constat liquores illorum per fermentationem fuisse paratos §. 25. an verò omnimodè, prout nos solemus ? assentiri nequeo: quoniam Lupuli nec Hippocrates, Dioscorides, Theophrastus, nec Galenus meminit, vide Elscholtzium, & Horstium Seniorem Oper. Med. in Instit. pag. 367.

§. XIV. Noster cerevisiam parandi modus plures includit operationes: nimirum *frumenti macerationem*, *exsiccationem*, *molituram*, *infusionem*, *colaturam*, *coctionem*, *condituram*, *fermentationem*, *& repositionem*, tres priores ad malthum, reliquæ ad cerevisiam spectant. *Maceratio*, quam nonnulli primam fermentationem appellant, per tres circiter dies in cadis fit: aqua recens (decantatâ priori, præprimis, dum calor viget, nè putredo concipiatur) frumento sæpiùs affunditur, donec cum tanta mollitie intumescat, ut digitis facilè lac exprimi possit. Tum omnis aqua decantetur, frumentum super aream siccam in acervum ad pedis altitudinem aggregetur: æstate minorem, & sæpiùs in die moveatur: hyeme profundiorem, & in principio probè tegatur, ut sponte incalescat: hoc in statu tamdiu sinitur, donec germen, & leves radicum surculos emittat: ita enim oleum terrestribus partibus obvolutum, & torpidum, pororum compage laxatâ moveri, subtilisari, & in actum deduci inchoat. rectè autem addit *Willis Tract. de ferment. cap. 7.* nè ultra triduum priùs in aqua detineatur frumentum: secùs substantifica mucilago extrahitur, & elutriatâ aquâ inutiliter profanatur.

§. XV. Listerus de humor. cap. 14. memorat: in Anglia paucis solùm hybernis Mensibus malthum confici posse, propter celerem adeò in maceratione inceptam, & aëris calore provectam putrefactionem, ut nullis remediis, aut admodùm ægrè sisti possit. Igitur frumentum, quàm potest citissimè, à maceratione exsiccari debet, ut particularum in germinationem propensio, & subtiliorum partium vehementior extricatio inhibeatur.

§. XVI. Exsiccatio perficitur dupliciter: vel ad solem, vel ad ignem. *Illam* non omnis quidem cerevisia, sed unicè *aërea* expetit: dum vigente æstate locô eminentiori, & perflatô frumentum maceratum super tabulatum (auf die Schwell) spargitur, sæpiúsque per diem vertitur. *Hæc* ignem peculiari fornace clausum requirit, & asseres perforatos, nostratibus die Maltz-Dörre/ & Hollandis den eest: istos superstratô frumentô obliquè ad horizontem fornaci applicant, ut

ut humiditas extillet: ſiccant *leniter*, dum cereviſiam hordeaceo-albam: *fortiſſimè*, & cum ingenti crepitatione quaſi torrent, dum fuſcam: *mediocriter*, dum cæteras conficiunt. Differentia verò, quæ inter ſiccum aëreum, & igneum intercedit, eſt: quòd ibi malthum albius, & ſinè ullo empyreumate relinquatur, hìc contrà.

§. XVII. Paratum ita frumentum, bynes, polentæ, vel barbarè malthi, & malthæ (**Maltz**) nomen adipiſcitur, & ulteriùs, ut futuræ infuſioni aptius reddatur, in groſſiorem farinam frangi debet, quod hìc molis bovinis, vulgo **Ochſen-Mühl** perficitur. Talis farina dulceſcit, madefacta diffluit, nec ampliùs in panem, vel ſolidiorem aliquam conſiſtentiam reduci poteſt: quorum alterum ex Liſteri mente, à lentore hordei amiſſo, alterum ab oleo valde attenuato, per minima aquæ commixto, & ſalium puriori quidem, & leviori, ſed ſolidiori & granulata compage reſultat.

§. XVIII. Explanatis, quæ frumenti ſunt, ad cereviſiæ natales, id eſt: infuſionem me accingo: in qua modum, proportionem, & tempus obſervamus. *Modum* ita adornant Viennenſes Zythopæi: primò cadum habent ſatìs profundum (**die Maſch-Bodung**) fundo duplici, alter mobilis eſt ſuperior & interior, pluribúsque foraminibus pertunditur: alter firmus exterior ſeu inferior peculiari epiſtomiô inſtruitur, clavellis lateralibus quadratus canalis **der Pfaff** adhæret, qui ambobus hiat orificiis, ſed inferiori in ſpatium, quod inter utrumque fundum relinquitur. Cadum hunc malthô infarciunt, & frigidâ priùs in pultem humectant. Deinde verò fontanam in lebete ſinunt bullire, breviùs quidem puram, ſed impuram diutiùs, atque ſpumam ad latera propelli ſolitam cribrariô prudentiores demunt cochleari (**mit einem Faum-Löffl**) Ex cacabo ſemi-canalis dirigitur **in den Pfaffen /** per quem bulliens in fundorum interſtitium infunditur: ibi non modò fundo mobili incumbens malthum elevat: ſed illius etiam foramina penetrat, ut hujus ſubſtantiam extrahat.

§. XIX. Proportio, quam in infuſione noſtrates aquam inter & malthum obſervare deberent, eſt ſequens: ad triginta modios malthi recipiuntur aquæ.

in cereviſia	Duplicata Vinacea	35 Urnæ
	aëerea Martia **Einbock**	40
	hordeaceo-alba	45
	fuſca	51

Atta-

Attamen certi nihil ſtatui poteſt: *auri ſacra fames* ſæpiùs malthum detrahit, & aquam adauget.

§. XX. Dum infuſio fit, malthum inſtrumentis in ruderum formam fabrefactis (**mit den Maſch-Scheüth**) ſæpiùs agitari debet, ut aqua promptiùs penetret, & vires imbibat: ſed cave, nimìs diu hæc ſimul ſtent infuſa, tres una vice horæ quadrantes ſufficiunt: ſecùs refrigeſcens nimìs aqua, & malthum, & id, quod jam abſorpſit, adeò reddit mucilaginoſum, ut poſteà difficulter fermentet. Tandem beneficiô foraminum, quêis mobilis perterebratur fundus, ſua ſponte tinctura colatur, & apertô inferioris fundi §. 18. epiſtomiô à maltho decantatur in aliud vas ovale, & cyſterniforme, quod (**der Bier-Grandt**) dicitur, cadóqne noſtro immediatè ſubſternitur.

§. XXI. Indè excipulis (**mit denen Auffſchlag-Schapffen**) tinctura elutriatur in lebetem, quem ideò peculiari aſſere **mit einem Fahr-Bredt** inſtruunt, nè quidquam liquoris durante elutriatione in terram decidat, & deperdatur. In lebete coquitur, donec ebulliat, tum verò rursùs exhauritur, per ſemi-canalem & **Pfaffen** in priorem cadum deportatur, priſtino denuò maltho commiſcetur, atque ſic infuſionis colatura, & coctionis labor cum uno, eodémque maltho & aqua quatuor vicibus repetitur: nam quamprimùm aqua calorem amiſit, exiguos malthi poros permeare haud ſatìs poteſt, ergo recalefacere opus eſt, ut, quantum virium in maltho eſt, tantum ferè ſuſcipiat. Notandum tamen nonnullos eſſe, qui paulò aliter coctionem cereviſiæ moliuntur, & prima vice unà cum maltho tincturam propter fortiorem extractionem ebullire ſinunt: ſed nobis prior modus præplacet, quia cereviſiam minùs craſſam generat.

§. XXII. Conditurae locus eſt, dum ultimò, ſive poſt quartam infuſionem cereviſia excoquitur: ibi enim pro una braxatione in triticeis adduntur Lupuli libræ 6. vel 7. in hordeaceis ℔. 9 vel 10. & unà ad ſemi-alteram horam ebulliunt: ſed diutiùs hordeaceæ, ut non ſolùm nutribilis eorum ſubſtantia juxtà *Hoffmannum Med. ſyſt. tom. 1.* coctione magìs miteſcat, ſed etiam vaporoſum lupuli ſulphur in auras abeat: à coctione nempè bonitas deſumitur, quò meliùs coquitur, eò coloratior cereviſia, minúsque ranceſcit (**wird nicht roh-höpffig** ſive **Hopffen-Raaß**) & contra. Coctionis ſufficientis tria habent Patognomonica ſigna Zythopæi: *1mo* dum in ejus decocto ſcutellâ ex lebete excepto quaſi in ſpeculo ſe intueri poſſunt: *2do* dum etiam ibidem præter copioſas, minimáſque laterales veſiculas, in medio majores una vel plures, inſtar piſi ſupernatant. *3tio* dum in omnibus quatuor excoctionibus ſimul ſumptis ſex circiter urnæ

aquæ

aquæ ab una braxatione in auras abeunt. Omnia iſta ſignificant conſiſtentiam legitimam, & oleoſarum partium intimam cum aqua miſcellam.

§. XXIII. Vis, quæ cereviſiæ à conditura, ſive Lupulo accedit, principaliter eſt à corruptione præſervans; nam Liſterus ità argumentatur: quò liquor eſt craſſior, eò fortiùs res natantes ſuſtinet, ùt docet hydroſtatica: ergo cum à lupulo fiat craſſior, propter mutuam preſſuram, & laterum reſiſtentiam ejus ſalia non tam citò diſſolvi poſſunt, ergo nec aceſcere: accedit, quòd omnis corruptio ab aëris interni ad externum mutato habitu dependeat, ſæpè in porulis corporum rareſcit, ſæpè denſatur, unde atmosphæra jam minùs, jam fortiùs premit: ſed hôc ipsô illorum particulæ modò laxantur, modò nimis ſtringuntur, fatiſcunt, dividuntur, & acriores fiunt; jam verò lupulus cereviſiæ benè mixtus, hoſpitales ejus intercapedines occupat, & aërem aliàs ibi detineri ſolitum à conſortio cereviſiæ excludit, inſtar ſalis communis in conditura v. g. carnium. Deindè reſinoſa etiam virtute cerealium particularum elaterem firmat, ut minùs externis auræ motibus obſecundent: & hinc ratio reſultat, cur propter majorem lupuli additionem hordeaceæ cereviſiæ triticeis diutiùs durent.

§. XXIV. Poſtquàm ſatis coƈta, & lupulô, ùt artis eſt, condita fuerit cereviſia: è lebetis ora incile longius **ein Ubertrag-Rühnne** ſtatuitur, cujus alteri extremo cribrum (**die Hopffen-Seüg**) appenditur, & dirigitur in humile quoddam, ſed latius cadorum genus (**in die Kühl-Stöck**) illuc liquor transfunditur, ut à lupuli folliculis liberetur, & refrigeſcat æſtate totaliter, hyeme ad naturalem ſolùm v. g. laƈtis recens mulƈti teporem. Sed neque iſte laborum eſt finis, quin poſt refrigerium indè etiam in cellam deportari, & in commune receptaculum (**in die Zuſammen-Laß**/ vel uſitatiùs **Bier-Bodung**) conjici debet.

§. XXV. Tum cereviſia ſuſcipit fermentum (**bekommt den Zeug**) ſeu ſubtiliſſimam, puram, ſupernámque fermentatæ fæcem: hordeaceam quidem, ſi ex hordeo braxatur: triticeam, ſi ex tritico: quod *Boerhaveus Inſt. chym. tom. 2. hiſt. ferment.* benè obſervat: nam ſi viciſſim uſurpetur, turbida poſt fermentationem manet, quia homogeneitate caret. Doſis fermenti hyberno frigore major, æſtivo calore minor eſt: ibi diutiùs in communibus cadis (**Bier-Boding**) relinquitur, ùt patet in Martiana: hìc tamdiu ſolùm, donec fermentare inchoet, & deinde ſtatim doliis ingeritur. Ratio ex impedimentis, & augmentis fermentationis deſumitur, quam nonnulli pariter

riter ſale armoniaco promovent, alumine demunt apud *Ettmüllerum.* Sed maxima cauſa aër eſt: liberior in cadis ſegnem fervorem animat, impeditus in doliis excedentem minuit, atque ſi ea fortiter obdurantur, prorsùs ſuffocat, vide *Boerhav. loc. cit. & in Elem. chym. tom. 2. pag. 187.*

§. XXVI. Totum fermentationis ſecundæ negotium ſic abſolvi credo: quamdiu omnes, aut ſaltem plurimæ liquoris particulæ æquipondium ſervant, ita ut quævis proportionatum gravitati, & elaſticitati ſuæ locum occupet, nullus motus animadvertitur: at quamprimùm illud æquilibrium tollitur, tantò major ſubſequitur motus, quò amplior fuerit ab æquilibrio receſſus: quippè intrinſecâ ſtructurâ, & pondere molleculæ in ſpatium ſibi debitum premuntur: ergo cauſa motûs fermentativi eſt eademmet ipſa, quæ partium æquilibrium ſemovet: hæc verò aëris ambientis, & contenti eſt mutata ad invicem proportio. Res exemplô patet: ſi aër incluſus reſiſtit ùt duo, & atmoſphæra tantundem premit, motus fit nullus: contra ſi aëris incluſi reſiſtentia ſit ùt unum, & ambientis preſſio ùt duo, neceſſum eſt, ut exterior in interioris ſpatium, & viciſſim ingredi contendat: itaque videndum, quid in fermento latitet, quod, dum cereviſiæ commiſcetur, aërem illius internum reddit atmoſphæræ minùs vel magìs reſiſtentem.

§. XXXII. Fermenti, utpotè priſtina jam elaboratione confecti partes ſubtiliſſimæ, & ſolidiores ſunt: conſequenter minoribus ſcatent poris, & pauciorem, vel ſaltem ſubtiliorem ſecumvehunt aërem: contrà Decoctum malthi §. 25. viſcoſum, crudum, craſſúmque eſt; unde amplitudo pororum, aëris quantitas & craſſities metienda venit. Datô hæc duo invicem ritè miſceri (quod haud difficulter concedet, qui fluiditatis naturam ex *Boyleo Tract de fluid. & firm.* addidicit) aër, & ſubtilitas fermenti non ſolùm ab atmoſphæra minùs premitur, quàm aër & partes malthi, ſed etiam ſoliditate ſua elaſtica à vicinis corporibus, in quæ impingit, reſilit, aucta ſic in infinitum quaſi repercuſſionis vi, de qua *Borellus*: ergo. Durante hoc motu unæ alias partes è ſede ſua deturbant: quædam in vaſis latera impellunt, ſed repercutiuntur, quædam in aërem avolare nituntur, ſed à florum cereviſiæ cuticula prohibentur, niſi ſummo ſibi impetu exitum parent, bullas rumpant, & cum ſonitu diſcedant; intereà dum tam multifariâ directionis lineâ particulæ repelluntur, atritio, rarefactio, & calor tandem conſequitur.

§. XXVIII. Durante fermentatione dolia ſint aperta, neque priùs occludantur ſuperna eorum orificia, donec nulli ampliùs flores ad ea con-

conſpiciantur: quod intrà biduum, vel 24. horas ſæpè fit. Tum verò braxatores ſtatim ad Zythopolas (zu denen Bier leith geb) transvehi curant, ubi per tres, quatúorve dies in cellam reponitur, ut fæces in fundum deſideant, & nonnihil cereviſia inclareſcat: tandem ſubitò venalis exponitur.

§. XXIX. Hic braxandæ Auſtriaco-Viennenſis cereviſiæ mos: iſti natales: quarè etiam digna natalibus duratio eſt: vix quatuor ſeptimanas, quin aceſcat, aſſequitur. Ideo doliolis exiguis vix urnam æquantibus aſſervari ſolet, ut, quamprimùm bibendo exinaniri incipiunt, brevì totaliter evaſentur. Attamen profitentur hujus loci Zythopæi, ſe pariter cereviſiam diutiùs incorruptibilem excoquere poſſe, ac aliis Septentrionalibus in locis: ſed hoc ipſum peſſimum eſt, quòd, cùm ſciant, in opus non redigant, quaſi verò: quia natura Auſtriaci vini benigna eſt Mater, ipſi cereviſiæ perduelles eſſe debeant Patres. Laudem merentur Egrenſes, qui per dimidium etiam annum majoribus ad decem circiter urnas vaſis cereviſiam conſervant, antequàm ſalubriter bibant. Paterbornenſes duodennalem habuiſſe perhibentur: ſed omnes vaſa pice illita habent, quæ Auſtriaci reformidant, & munditie compenſare ſtudent, ut partim nauſeoſam evitent cereviſiæ amarulentiam: partim noxas, quas à pice §. *64.* metuunt.

§. XXX. Magna cereviſiæ à duratione accedit diverſitas: nam mox poſt fermentationem turbida eſt, & plùs juſto à lupulo nondùm perfectiſſimè mixto amareſcit, ſucceſſu temporis gratior inſtar fructûs maturi evadit; tandem cum ad ſenium pervenerit, in deteriorem inclinat ſtatum, ea præprimis, quam aut coctionis, vel lupuli parſimonia, aut conſiſtentiæ nimia tenuitas ignobilem effecit: licèt enim in cella frigida ab aëris injuriis, bombardarum ſonitu &c. diligenter præſerves, tardiùs quidem, at aliquando nihilominùs ſive in acetum, ſive in vappam corrumpitur.

§. XXXI. Cereviſiæ aceſcentis geneſim ex duplici fonte deſumo: *1mo* à ſpiritûs ſulphurei partim avolatione, partim in ſaponaceam quaſi naturam commutatione. *Illud* docent cauſæ: in calore enim, & æſtate citiùs aceſcit. *Hoc* non ſolùm ex eo deducitur, quia bona cereviſia dat bonum acetum, mala malum: ſed etiam, quòd in fundum vaſorum acetariorum oleaginoſitas quædam (die Mutter) deponatur (vide *Boerhav. l. c. proceſſ. 49.* §. *4.*) quæ ſi ſingulis annis non aufertur, acetum corrumpit. *2do* ex ſale eſſentiali, ſive tartaro cereviſiæ reſoluto: inter hunc enim & acetum nulla diverſitas, niſi in magnitudine, ſpecillis *Leevwenhokii* conſpicitur: verba illius ſunt: *ex ſali-*

bus

bus C. B. tartari &c. aquâ ſimplici ſolutis ſales acetoſi ſtatim fiunt, id eſt: ſales tenues, & ex utraque extremitate acuminati: mox iidem acetoſi in cryſtallos ſexangulos coëunt, prout pluribus *Lyſterus loc. cit.*

§. XXXII. Ex quibus colligitur *1mo*: cur ſaccharum ſaturni in ſpiritum ardentem deſtillari poſſit: acidum enim aceti à plumbo fortiùs detinetur, & ignis violentia ſpiritum ſulphureum rursùs à ſmegmaticis aceti compedibus liberat. *2do*: cur creta, calx viva &c. apud *Ettmüllerum tom. 1. pag. 443.* cereviſiam ex acida in dulcem convertant; quoniam ſalem acetoſum rursùm coagulant, ut liberè in fluido volitare non poſſit, ſed in fundum quaſi granulatus, præcipitetur. *3tio*: quando vappa fiat? tunc nimirùm, cum tota, vel ſaltem plurima ſpiritûs ſulphurei, & ſalis eſſentialis pars vel in auras abit, vel in fundum præcipitatur.

§. XXXIII. Dantur & alia multa corruptarum cereviſiarum genera, Germanicô barbariſmô expreſſa, utì ſunt: Zeug-raaß / Hopffen-raaß / verdempffet / angelegt / brandlet / Roh-höpffig / Sommerentzig / Erdentzig / Graßkeimicht / Schaalflüßig / Schimblicht / & cætera nec omnibus nota Zythopæis nomina: cuncta tamen non tam à duratione, quàm neglecto ingredientium ſelectu, braxandi modo, tempore, inſtrumentorum, vaſorúmque puritate &c. dependent: & hinc eſt, cur tam ingens undique cereviſiarum reperiatur diverſitas:

Ut neque, quàm multæ ſpecies: nec nomine, quæ ſunt
Sit numerus; neque enim numerô comprêndere
fas eſt.

§. XXXIV. Commodè tamen cereviſiæ omnes ratione conſiſtentiæ in tres claſſes diſpeſcuntur: *craſſam*, *mediocrem*, & *tenuem*. Priores duæ etiam aliô nomine primariæ vocantur: poſterior *ſecundaria* Germanis *Covent*, quia affusâ excoquitur fontanâ ex effætis maltho & lupulo: illis nimirùm, qui inſtar rei humano uſui inutilis relinquuntur, poſtquàm indè una ex antecedentibus duabus cereviſiis eô, quem hôc capite docuimus, modô legitimè parata fuit: hoc ſolùm admonere debuimus, quòd Zythopæi, qui §. *21.* malthum ſimul cum tinctura cereali in lebete coquunt, ferè nunquam ſecundariam parare poſſint. Cereviſiæ *craſſæ* à copia materiæ, & diuturniori coctione fiunt: quales ſunt *fuſca*, *duplicata*, *Martia*, *aërea*, Einbock. *Mediocres* minùs ingredientium recipiunt, vel ſaltem non tantum ex iis extrahunt, ùt Hornenſis, triticea Weiß-Bier / & hordeaceo-alba: quarum poſtrema inter coloratas & pellucidas, dulces & amaras æquilibrium

librium tenere, & vulgo das Speiß-Bier alibi dicitur. Tandem *tenuis*, seu lora exiguum valde de maltho participat, citóque acescit.

CAPUT TERTIUM.

Proponit Selectum, Principia, & agendi modum Cerevisiæ Viennensis.

§. XXXV.

SAtis, supérque operarum in Zythopæa locavimus, gustare nunc oportet, quæ cæteris cerevisia præstat: illa nimirùm, quam Salernitani commendant versus:

Non acidum sapiat cerevisia, sit bene clara,
Ex granis sit cocta bonis, satìs ac veterata.

Hoc totum obtinebimus *1mo*: si ex datis hactenùs regulis ingredientia §. 8. selegerimus, ac malthi parationem §. 14. infusionem §. 18. coctionem §. 21. & reliqua Cap. 2. prout docuimus, instituerimus: ità enim vitiis §. 33. & quæ ex duratione §. 31. accedere solent, carebit. *2do:* si consistentiam habeat mediocrem §. 34. ritè sit defæcata, levis, & mediocriter amara, omnis expers alterius saporis, odoris. *3tio*: quæ potantem ex Cap. 4. juvat, aut saltem minimè lædit: confer §. 63.

§. XXXVI. Optimè verò de selectu cerevisiarum judicabit, qui plenam earum tum chymicam, tum hydrostaticam experientiam habuerit. Chymici duplicem in examen adducunt: alteram, quæ nondum fermenti vim experta est: alteram, quæ absoluta ritè fermentatione perfectionis gradum est assecuta. Primam *Willisius Tract. de ferment. cap. 7.* item *Boerhaveus Inst. chym. tom. 2. Sect. 1. process. 38.* igne lento ex cucurbita destillavit, & uterque nihil præter aquam in recipiente conspexit: nam capitello instar roris adhæsit, nec statim, ùt spiritus decurrit, injecta igni, eum extinxit, flammam non concepit, & pota omnes effectus præstitit, qui fontanæ attribuuntur.

§. XXXVII. Hinc inferes: panicum illorum esse timorem, qui nimiùm de spiritu solliciti sibi non fidunt infusum malthi, prout nos jubemus §. 21. ulteriùs decoquere; nam quamvis per macerationem §. 14. oleosæ frumenti partes ità extricentur, ut dulcedo malthi consequatur, non tamen ad tantam volatilitatem perveniunt, ut in spi-

ritum

ritum abeant, ſed exſiccatione §. *18.* inhibentur. Exempli locò inſervire poterit muſtum, præſertim, ſi ea, quæ *Junkenius experim. ad chym. experiment.* obſervat, conferantur.

§. XXXVIII. Sed tamen procul abſit, ut, dum decoctionem concedo, *Glauberianam* cereviſiæ concentrationem approbem: ille enim infuſum malthi eo ex fine evaporavit, ut per navigia inſtar mellis in aliena loca poſſit transferri, & ibidem affuſâ aquâ, & additô fermentô denuò in cereviſiam permutari: verùm voti compos fieri non poterat, quoniam mellinum illud magma citiùs in vermes abiit. *Daniel Ludovicus in M. Nat. Curioſ. Dec. 1. an. 4. & 5. pag. 275.* majori lupuli copia huic malo medetur, ſed in aliud incidit: nam licèt extracto ſuo ſubduplum ſolùm ejus aquæ addiderit, quam priùs abſtraxit: nihilominùs peractâ fermentatione, ſecundaria tantummodò prodiit cereviſia. Rationem dat *Ettmüllerus tom. 1. pag. 483.* ſubtractô enim phlegmate particulæ reſidui adeò arctè propter oleoſarum concentrationem uniuntur, ut nullâ aquâ ampliùs, utpotè ineptô tunc menſtruô, ſolvi poſſint.

§. XXXIX. Contrà, qui alteram cereviſiæ ſpeciem, ſive fermentatam igne perſcrutantur: primùm in *fæces*, & deinde in ipſum *liquorem* aciem intendunt. *Fæces* ex floribus, id eſt: pellicula illa, quæ fermentantem cereviſiam contegere ſolet, ortum trahunt: nam quamdiu hi multi conſpiciuntur/ paucæ ſunt fæces, & decreſcentibus illis, hæ accreſcunt. Uſtores cremati, ubi vinoſæ deficiunt, cereviſiæ fæces in paucum ardentem ſpiritum exurunt: ſi autem accuratiùs, & igne debito tractentur, aliquid ſalis volatilis & olei, ſed plurimum terræ, & non nihil ſalis fixi ſuppeditare notantur.

§. XL. Liquorem cereviſialem ritè formentatum deſtillavit *Boerhaveus element. Chym. tom. 2. pag. 191.* & ſequentia in principia diſpeſcuit. *1mo* Prodiit ſpiritus ardens tantæ nobilitatis, quantæ à vino haberi poteſt fragrantiſſimus, ſinè ullo ingrato nidore, & rectificatus pulverem pyreum accendit. *2do* Liquor acidus, ingratus, adſtringens, nauſeoſus, & albus roridis guttis aſcendit, cui nihil ſaporis calidi, ſpirituoſíque ineſt, ſed, ſi ulteriùs urgeatur, fætere incipit. Hic liquor omnibus ſulphureis ſpiritibus intimè copulari ſolet: quare in debita eorum rectificatione ſemper in fundo relinquitur, cum hac tamen diſtinctione, ut, ſi ſpiritus rectificandus in vaſe Querno priùs aſſervatur, rubedinem contrahat. *3tio* Oleum craſſum, fætidum, & empyreumaticum: ſed an hoc repetita rectificatione, quemadmodum oleum tartari fætidum, multam deponat terram, & ſuaveolens evadat, à nemine ſcriptum inveni, ſuadet tamen rationis identitas.

titas. *4to* Si fæcem craſſam, & nigram à deſtillatione reſiduam comburas, & aquâ ſolvas, in filtro terram damnatam obtinebis. *5to* Tandem, ſi ſolutio denuò ad ſiccitatem evaporetur, ſal Tartari fixus in conſpectum venit.

§. XLI. Ego pariter, ut Viennenſium cereviſiarum vim ſpecialiùs experirer, per veſicam debitô ignis regimine deſtillavi libras duas in menſura cujusvis cereviſiæ, ſi *duplicatam*, & *vinaceam* exceperis, utpotè præſenti hoc tempore, hìc nullibi, quod ſcio, venalem, & obtinui ex

Triticeo-alba

Spiritûs valde debilis, cum ſtriis tamen prodeuntis	Drachmas 2
Phlegmaticis	131
Extracti dulcis	16
Summa	149

Hordeaceo-alba

Spiritus flaventis, & fortiter linguam ferientis	7
Phlegmatis dulceſcentis, gratíque	135
Extracti leniter dulcamari, & empyreuma redolentis, colore & conſiſtentiâ eâdem, quæ in melle	18
Summa	160

Fuſca

Spiritûs debilioris albi	17
Phlegmatis	132
Extracti	20
Summa	159

Aërea

Spiritûs melioris	8
Phlegmatis	139
Extracti	20
Summa	167

Martia

Spiritûs debilioris	15
Phlegmatis	128
Extracti	19
Summa	162

Ein-

Einbock

Spiritûs debilioris - - - -	6
Phlegmatis acescentis - - -	130
Extracti dulcioris & nigri - -	21
Summa	157

Hornensi

Spiritûs inter cæteros optimi - -	11
Phlegmatis aciduli - - -	130
Extracti subacidi - - - -	7
Summa	148

Scire autem oportet: omnes hos Spiritus tantâ phlegmatis quantitate dilutos fuisse, ut nullus accendi poterat.

§. XLII. Proportio, quam Extractorum quantitas servat ad phlegma, ferè demonstrat, cur areometrum demittat

Cerevisia

Aërea - - - -	ad gradum	2 ½
Einbock - - -		3
Martia - - -		3 ½
Fusca - -		3 ½
Albo-triticea - -		4
Hordeaceo-alba - -		4
Hornensis - - -		6

Nam quò profundiùs, id est: ad plures gradus areometrum demergit, eò levior, & contra est cerevisia: consequenter plus solidorum, aut compactorum corporum participat.

§. XLIII. Concludimus ergo in genere cerevisiarum nostrarum principia esse: aquam, paucum & debilem, respectivè ad vinum loquendo, spiritum, copiosámque, ac gelatinosam melaginem, in qua oleosæ partes cum terrestribus coadunatæ quandam salis essentialis, sive tartarei portionem custodiunt. Dices: Tartarum cerevisias non habere. Respond. Quamvìs doliolis cerevisiariis non se appendat, satìs tamen ex acescentis cerevisiæ genesi §. *31.* & destillatione Boerhaviana §. *40.* cognoscitur. Deinde nunquam tam diu in vasis convenientibus cerevisia asservatur, quàm vinum; quare & temporis brevitas, & vasa pice aliis in locis illita, concretionibus Tartareis non favent.

§. XLIV. Nunc patet, quomodo cerevisia corpus humanum afficiat. Ratione *Spiritûs* sanguinem sensim rarefacit, & dum solitô plus bibitur, præsertim quæ fortiùs lupulata, aut vasis piceis conservata

 est,

eſt, ebrietatem cauſat, ſed vinô multò periculoſiorem, longiorémque propter junctam craſſitiem. *Gelatinoſa melago* nutrit, incraſſat, emollit. *Sal eſſentialis* priori plerumque ſubjacet, conſequenter vim ſuam, præſertim in triticeis haud fortiter exerere poteſt. At quando prædominium obtinet, ùt in hordeaceis, & Hornenſibus lupulô benè conditis &c. Diureſim egregiè movet, & bilioſos humores temperat. *Aquæ* virtus notiſſima, nobiliſſimáque eſt in fluore ſanguinis conciliando, & criſpato tono laxando, ſed in multis cereviſiis, præſertim craſſioribus, ùt Duplicata, Einbock / Martiana &c. ab admixtorum quantitate impeditur.

CAPUT QUARTUM.

Statuit uſum, & abuſum Cereviſiæ Viennenſis.

§. XLV.

VAriam Cereviſia experitur ſortem: Laudatur ab his, culpatur ab illis. Nonnulli ſive ob vini copiam, ſive aliam cauſam jam dudum illam è ſolio deturbârunt, ità, ut non modò menſis, domibúſque penitùs exulare cogatur: ſed inſuper inter potus inſalubres, craſſos, abominandos, & meatus urinarios obſtruentes, quaſi lernam malorum bibentibus inferret, reponatur:

Neſcio, quod ſtygiæ monſtrum conforme paludi,
Cerviſiam plerumque vocant!

& rursùs:

Qui docuit craſsô cererem confundere ſuccô,
Huîc iratus erat Bacchus, & alma Ceres.
Nam Peluſiaci qui laudat pocula Zythi,
Illi nec cerebrum, nec caput eſſe puto.

Sed injurii fortè hi ſunt cereviſiæ oſores, nimìs citò, & quin ejus diſcrimina, nec non in- & coindicantium in homine vim ſatìs penſitârint, ferunt judicium. Horum ego memor pro viribus contendam, ut in tanta Vinearum Patria in certis circumſtantiis cereviſiam vino nec præferam, nec auferam. Conſequenter non meritis eam ſpoliabo laudibus, nec ſuperfluis onerabo.

§. XLVI. Gemino corporis humani ſtatui, ſano, & ægro, gemina cereviſiæ virtus, nutriens nimirum, & alterans convenit: nam, ut de primo dicam, propter continuum, partium attritum perenni natura eget tum fluidi, tum ſolidi nutrientis, conſuetô præprimis, & inſipidô pabulô: ſed hoc ſæpè nullô convenientiùs mediô reſtaurari poteſt.

teſt, quàm cerevifiæ quâdam ſpecie,* quæ inter mediocritatis termi-nos §. 34. conſiſtit. aſſuevimus nempè cereri, aſſuevimus aquæ: non excitant internè turbas, quæ externè perfectum fermentationis ope inierunt connubium, ſi cæteroquin nullus error aut in parandi mo-do &c. aut in corpore humano latitat; hinc auſim dicere: non tan-tas aquæ ineſſe vires, non tantas vino, ut quandoque cerevifiæ præ-ponantur: aqua diluit, ſed non vires reſtaurat: vinum reſtaurat, ſed gelatinoſa caret parte, & ſaporis exuberat magnitudine.

§. XLVII. Neque juvat dicere: melius eſt, ſi ſeorſim alimenta aſſumimus, quæ ſolùm nutriunt, & ſeorſim potulenta, quæ ſolùm di-luunt, & roborant; nam quamvis & ego hoc in quibusdam caſibus ambabus largiar manibus, v. g. dum nulla fames, ſed ſola urget ſitis, aut dum nutrire non audemus, ſed ſolùm diluere, aut roborare: aut denique ſi aliunde humiditate nimiùm dilutus ventriculus ſolidiori eget pabulô; ſi tamen nullum ex iſtis impedimentis occurrit, dico: fru-ſtrà quæritur per plura, quod poteſt fieri per pauciora, cerevifiam puto; ſiquidem alimenta, dum cum potulentis aſſumuntur, in corpo-re primò in fermentationes exſurgunt: quos non motus aliquando cient, antequàm placabilem miſcellam ſubeant! at cerevifia gas omne ſylveſtre, ſeu fermenteſcibile foris depoſuit, utpotè halitus illos ve-nenoſos, qui à rebus fermentantibus elevantur, teſte *Boerhaveo inſt. Chym. hiſt. fermentat.* §. 26.

§. XLVIII. In ſententiæ noſtræ confirmationem non Belgas, Anglos, cæteróſque Septentrionis accolas omnes ſubajavios, ſeu ce-revifiæ potatores adducam: vivunt illi ſatìs ſalubres, phtyſis, arthritis, podagra, & calculus rariora ſunt mala, & nisì in iis fortè, qui vini, aut ſpirituum ardentium exceſſivô potu ſe ſe ingurgitant. Prô quan-tum indè Auſtriacis emolumentum! hornorum, & acidorum vinorum peſtiferam pulmonibus, & nervis vim cerevifiæ corrigit favor, atque expectorationem ſæpè promovet, & urinam.

§. XLIX. Sed antiquam, nunc obſecro, conſiderate Germaniam; toti Orbi terrorem incuſſit, & tamen vini vix uſum, nisì ad Rhenum fortè pauculis quibusdam in locis novit: à cerevifia irradicatam hau-ſit ſinceritatem, & fuci neſciam virtutem. Quid Bohemos memorem? nervum Cæſareæ plerumque conſtituunt militiæ: non gentem alibi meliùs coloratam, non ſalubriorem, non ſeniorem, atque, quod ca-put rei eſt: nullibi formâ pulchriores fæminas, fæcundioréſque ma-tres reperies. Si mihi haud creditis, audite ipſam loqui cerevi-ſiam:

In

In Venerem est tardis Medicina eruca Maritis:
Ut Medicus plenô prædicat ore chorus.
Est similis virtus in me quoque, potáque fibris
Efficio fortes, prolificósque Patres.
Hanc quoque dant Matres mihi laudem jure, negántque
Se Zythô aut posse, aut velle carere meô.

Attamen qui hisce nondum sapit, vel ipsos Zythopæorum ventres intueatur velim: vel adeat *Francisc. Valeriolam in loc. comm. medic. Olaum magnum histor. Septent. lib. 13. cap. 27. Hechsteterum observ. med. part. 2. dec. 5. cas. 9. in schol. Hermannum Conringium lib. de Germ. corp. habitu antiq. &c.*

§. L. Magna hæc cerevisiæ sunt encomia, magni effectus: sed tamen noxæ, quêis encomiastas suos cumulat, non inferiores. Fibrarum tonum labefactat; Palladium nimiâ crassitie, torpore, & humiditate obruit, inertiúsque producit ingenium, in sicco enim antiquitas memoriæ, & judicii vires reposuit: hinc Italorum apud Historicos sublimia, præsagáque obstupescimus ingenia, & promptum in arena admiramur consilium: hærent diutiùs, & deliberant securi Arctoi populi, & priusquàm de summa rei agatur, vix satìs pericula edocentur. Hanc animi, sed non leviorem corporis generat cerevisia segnitiem, plenitudo gravis, oscitans membrorum languor, viscerum oppilationes, febres intermittentes, Leucophlegmatia, cachexia, morbi soporosi in cerevisiæ potatoribus, præsertim Zythopœæ ministris frequentiora sunt mala. Igitur inter tot bonos, sævósque effectus videndum: *quæ*, *quibus*, & *quando* cerevisia conducat vel noceat?

§. LI. Ex cerevisiarum genere illas improbamus, quas vel parandi modus Cap. 2. vel ingredientium qualitates ignobiles effecerunt. Ad *primam classem* præter illas, quarum §. 30. & 33. meminimus, antiquorum cerevisiam ob lupuli defectum reponimus, præsertim si pravas aliunde qualitates contraxerit. De hac intelligendus est *Dioscorides: Zythus ex hordeo paratus movet urinam, renes & nervos lædit, & præcipuè cerebri membranis noxius est, & elephantiasin causat. Julius Alexander*, & *Eoban. Hessus* hæc nocumenta in nostram cerevisiam derivant:

Renibus, & nervis, cerebróque hic noxius humor
Sæpè etiam lepræ semina fœda jacit.

Sed erroris illos arguit *Horstius Senior loc. cit.* nam quotus quisque nunc Medicorum est, qui in Germania veram elephantiasim vidit? in-

incognitus ferè morbus est, & ipsius *Galeni* testimoniô Germanis rarissimus. Durior etiam in antiquorum fortè Zythum fuit *Dioscorides*, & endemium ægyptiis morbum ex esu carnis asininæ, ferinæ salitæ, aut potiùs Nilaticis, amarísque aquis apud *Plinium lib. 31. cap. 4.* dependentem, in innocentem antiquorum Zythum conjecit. *Hippocrates* certò benignior fuit, pluribus in locis Zythi meminit *lib. de rat. vict. in acut. lib. de affect.* §. 47. & in specie *lib. 2. de natur. mul.* §. 103. puerperis ex partu debilibus præscripsit.

§. LII. Ingredientia prout ipsa sunt multiplicia, ita diversas cerevisiæ imprimunt qualitates. Singula ordine, quô cap. 1. posuimus, persequar: Character bonitatis cerevisialis est, si citò renes pertranseat; hoc efficit, quæ subtiliores aquas recipit: proptereà *Hoffmannus opusc. phys. chym. de aqua Med. univers.* §. 22. laudat cerevisiam Libeginensem in Nephriticis, & biliosis vix par habere remedium, quoniam aqua, ex qua coquitur, ferè incorruptibilis est, & sponte cum maltho fermentationem subit. Vituperat ècontra cerevisias Hallenses, & prope Thermas elaboratas propter aquas minerîs fætas, ventrem & vesicam indurantes; attamen dicam, quod res est: quamvis cerevisia, quam pura conficit aqua, omnibus anteponatur: nihilominùs licèt nonnunquam deterior aqua fuerit, salubrius est illam in cerevisiam excoquere, quàm sibi relictam bibere. Confirmat sensum nostrum *Plinius lib. 31. cap. 3.* dum ait: *ante omnia damnantur aquæ amaræ, atque salmacidæ: in desertis rubrum mare petentes, additâ polentâ utiles intrà duas horas faciunt, ipsáque vescuntur polentâ*: ex quo infert *Listerus loc. cit. in schol.* en *origo cerevisiæ ad tollendum incommodum aquarum quarundam vitiosarum*!

§. LIII. Aquas sequitur triticum, potentissimum quotidiano panis usu alimentum *Hippoc. lib. 2. de vict. rat. cap. 15. Sebizius* monet, quòd ii, qui pane similagineo quotidiè vescuntur, exercitationi corporis studere debeant, aliàs obstructiones inducit: ergo triticeis cerevisiis non utantur juxta *Hoffmannum Med. syst. tom. 2. pag. 80.* qui ventriculum habent infirmum, ùt infantes, senes, mærore, & animi morbô confecti, maximè hypochondriaci cum alvo adstricta, & flatulenta; nam:

Pabula triticeæ frugis malè cruda coquuntur
Robur ab artocopo condita majus habent.

Nihilominus emolliunt, & humectant multùm triticeæ cerevisiæ: & ideo fortè *Dolæus* in incubo commendat. Sed quia paucum lupulum suscipiunt, dulcedo illarum, præsertim si recentiùs, & solitô plus bi-

ban-

bantur, facilè acescit, & neque per alvum, neque per urinam secedere sinit. Mulierculæ quædam nostræ has suas delicias abundè luunt, & sæpè spasticas viscerum contractiones, sitim, tormina, Ischuriam, stranguriam, & nephriticos, hystericósque affectus reportant. Præ cæteris verò cerevisia duplicata fugienda est:

- - - nîl spissius illâ
Dum bibitur, nîl clarius est, dum mingitur, unde

Constat, quòd multas fæces in ventre relinquat. Nequit enim facilè minimos viscerum, vasorúmque lacteorum mæandros permeare, hæret, & sæpè stagnat, putrescit: hinc patet elegantiores, quàm veriores esse in ordine ad scopum medicum versus illos:

Laudatur vinum simplex, cerevisia duplex;
Est bona simplicitas, nec mala duplicitas.

§. LIV. Hordeum alimentum est tenue, medicamentosum, alvum leniens, Diureticum, anodynum, & mulcens acria quævis: unde in febribus ardentibus, siti, phtysi, hectica, rheumatismo &c. apud *Sydenhamum* & alios usurpatur. *Hipp. lib. 2. de vict. rat.* §. *6.* inter frigida, & sicca reponit: sed benè *Eobanus loc. cit.* eum explicat:

Hordea desiccant benè fricta, sed humida coctis
Vis erit, atque minus roboris indè venit.

Propter singulares hasce vires meritò & antiqua, & hodierna consuetudine ubique locorum præ reliquis frumentis copiosiùs in cerevisias excoquitur. Nec obstat, quòd *Galenus* dicat: *hordeum parùm coctum ventositates efficere, opilationes verò* ex atonia, *si meliusculè bullierit.* Hoc & ego à crudo fieri præsertim in phlegmaticis concedo: sed per braxationem cruditas multùm evanescit: si aliunde non peccetur. Non omnium tamen hordeacearum cerevisiarum eadem virtus est, sed pro diversitate modi parandi diversa: *hordeaceo-alba* magìs diluendo temperat. *Fusca* propter tostum fortiùs hordeum minùs laxat. *Aërea*, & *Martia* laboriosos juvant, & semen augent. Einbock quorundam magìs calefacit, sitim intendit, inebriat citiùs. Sed nostra nullius valoris est §. *41.* quare potiùs è foro rejicimus, partim ob crassitiem, partim, quòd illius compositiones plerúmque arcani instar occultentur, & sæpè ex repugnantibus rebus conficiantur.

§. LV. Avena in sorbitione juxta *Hipp. lib. 2. de Diæt.* §. *2.* humectat & refrigerat: unde in acutis sub Diætæ tenuis nomine ejus juscula porriguntur: abstergunt enim, & acre suâ gelatinâ demulcent

ma-

magìs, ſed minùs hordeô nutriunt. Celebre in *Diſpenſatorio Viennenſi* eſt Decoctum avenæ *Loweri*, de quo videatur *Bromographia Joan. Franci.* profectò nihil magìs ſcorbuticos, phtyſicos, aut hecticos æſtus temperat, humectat, ſtricturas tollit: & hæc genuina eſt ratio, cur tanti apud nos Hornenſis cereviſia æſtimetur: ſed, quamvis avenæ, & tenuitatis titulô commendari mereatur, culpanda tamen aqua eſt turbida, ex qua ſolet excoqui, cujus ratione nonnulli phlegmatici, aut Melancholici ſe tormina retuliſſe putant: ſed moneo hoc in caſu, errorem *cauſæ non cauſæ* perfacilè irrepere; ſolent enim fortiter æſtuare, qui illam concupiſcunt: hinc inſenſibili tranſpiratione læsâ non cereviſia ſolùm, ſed quodvis etiam aliud potulentum eadem mala cauſare poteſt.

§.LVI. Lupuli flores apud Hermannum craſſa, & viſcida incidunt, per ſudores, & urinam expellunt, hypochondriacis, febribus chronicis, hydropi, vermibus, ſcabiei, aliíſque cutaneis affectibus medentur. *Fiera* hoc nobis Epigramma ſcriptum reliquit:

Si lupulum oblectant antra, & nemoroſa ſalicta,
Hoc facit, ingrato ſit ſatis ut Medico:
Viribûs hinc bilem, calidúmque arcere cruorem
Eſt potis, hunc calida, & febris anhela timet.
Gratia ſi magna eſt lupulo, tua noxia major
Eſt Medice, hoc ſanctum qui malè nôris olus.

Non ineptè igitur moderni agunt, qui lupulô cereviſiam condiunt, ut viſcoſitatem demant, & in longius tempus conſervent: ſed & hìc aurea valet regula: *nè quid nimìs. Hoffmannus* ait: cereviſiam nimìs lupulatam occupare caput: fors inſtar amarorum omnium vaporoſorum apud *Wedelium theor. ſapor. ſect. 2. cap. 2. pag. 61. Jaſon Prætenſis* metuit, nè talis cereviſia à gravida bibita epilepſiam, & animi ſtoliditatem fætui tenello, aut abortum pariat, juxta illud *Hipp. lib. 1. de morb. mul. cap. 42. tex. 2.* ſi gravidæ acre quid, aut amarum ediderint, vel biberint præter conſuetudinem, fætum perdunt. Verùm Viennenſes mulieres non habent, quod metuant, ſatìs benevolos ſexui ſuo nactæ ſunt Zythopæos, parcô lupulô cereviſiam, præſertim triticeam condiunt.

§. LVII. Ex hactenus dictis ſatìs opinor, & ſpecialiùs conſtat, quæ cereviſia, & quibus proſit; ſed ut totam doctrinam in compendium deducam: comprehendere opus eſt diverſum fibrarum, humorúmque ſtatum cum varietate cereviſiarum, ut genuina reſultet indicatio.

catio. Dum oſcillatio partium fortiùs urget, aut humorum effervescens in calorem propenſio ab acrimonia præprimis alcalina, & putrefaciente ortum traxit, cerevisiam, ſed pro diverſis cauſæ oſcillantis, & irritantis gradibus diverſam approbamus; nimirum *primò tenuem* in morbis acutis, & repletionibus; paululum enim plus in receſſu habet, ac pura aqua, citò in ſanguinis circulum rapitur, & facilè ſecedit: quare apud *Hoffmannum Med. ſyſtem. tom. 2. pag. 343.* Mulieres ab hyſterica paſſione præſervat. Et apud *Simon. Sethi lib. de cib. facult.* multos à morbo ſacro, & crapula liberat. *2do mediocris* in pueris, juvenibus, bilioſis, hæmophtyſi, phtyſi, exulcerationibus internis, hectica, nephritide, calculo, aut ſcorbuto rancido, aut ſimilibus imminentibus morbis laudem ſortitur. Tandem *3tio craſſam* exercitatis, Venatoribus, bellatoribus, ruſticis, & fabrilibus operibus, ſervilibúſque aſſuetis commendamus; fortis enim fibrarum motus fortiori eget pabulô: educati in ſilvis ferarum more antiquitùs Germani etiam Zythum ſalubriter tulerunt. Verùm enim verò ſpecialior ubique ſelectus cerevisiarum ex dictis hauriendus eſt.

§. LVIII. Contrà, dum fibra laxa cum ſpiſſitudine, Plethora, vel inertia humorum conjuncta eſt, ùt in infantibus, ſenibus, phlegmaticis, non aſſvetis, tempore auſtrino &c. cane pejus, & angve cerevisiam fugere conſulo, præſertim craſſam, quæ fortiter inebriat, & glacie gelida pro potu ordinario, aut nimiùm uſurpatur: nè vim cerebro, nervis, & viſceribus inferat, præcordiorum diſtenſiones, anxietates, aſthmata, flatus, polypoſas concretiones &c. §. 50. incurabilia ſæpè mala producat, *Hoffmann. opuſc. med. de aqua med. univerſ.* §. 20. & paſſim aliis in locis.

§. LIX. Tempus, quô maximè cerevisiæ uſus viget, æſtas eſt, præprimis, ſi minùs ſuum Vineæ penſum perſolverunt: Sed cave vacuô ventriculô, & matutino tempore inſvetus bibas. Neque diuturnitate evaneſcentem, nec recentem nimìs, ſeu fermentantem adhuc, indefæcatam, aut lixivii inſtar craſſam ingurgita, fæces priùs deponi ſine, *Medium tenuêre beati*, ætatis mediæ cerevisia eſt optima, quæ tamen Viennæ rariſſimè invenitur §. 29. recens ſcilicet plùs nutrit, ſed morbos §. 58. ſtrangurias, calculos, & colicas periculoſas inducit, quod optimè eluceſcet, ſi differentiam, quæ recentes inter, & diuturno tempore ſeparatas fæces intercedit, geminis veritatis argumentum hiſtoriis corroboremus. Ipſe ego Pragæ funeſto interfui ſpectaculo, ubi ſartor juvenis, cum ſocio ſimili, tenui pro pignore certans, unô tractu mediam pinctam (hujatis menſuræ tres facilè ſextarios) fæcum petulanter exhauſit, & deſuper tam enormes ventris

tris inflationes, cruciatus, & tormina perpessus est, ut intrà triduum mors in pignus accesserit.

§. LX. Priori contrariam narrat historiam *Philip. Salmuth Archiater Anhaltinus observ. Med. posthum. cent. 2. observ. 94.* Andreas Pock noctu dira siti pressus, ad eam depellendam surrexit, & citatô cursu ad vasculum, in quo fæces cerevisiæ collectæ erant, se contulit, reputans cerevisiam esse, & unô tractu ad mensuram ferè illarum exhausit, neque errorem percepisset, nisi uxor illius manè fæces barbæ adhærentes conspexisset, & ipse postmodum eas inter dentes deprehendisset: ast nihil mali indè advenit. Si tam diversos ejusdem causæ eventus perpendo, non alia mihi firmior occurrit, quàm, quòd priores fæces recentes fuerint, & in corpore fermentando tam tragicos luserint effectus: posteriores ècontra maturæ satìs omnem quasi fermentando vim amiserint, cumprimis si aliunde in corpore nulla priùs saburra latitavit, constat enim: vetustas etiam vini fæces assumptas nihil præter alvum laxatam reddidisse.

§. LXI. Culpavimus indefæcatas cerevisias, sed neque illæ, quæ diurturnitate vappidæ fiunt, laudem merentur; orbus sale, & spiritu liquor quid, nisi fætore suo æconomiam nostram destruet? at de acescente cerevisia alia est Disputatio: Communiter post *Sylvii* & *Willisii* fulmen, acida tanquàm inimicissima corpori diris devoventur. Sanè *Listerus loc. cit.* mitiùs cum his agere videtur; ejus verba sunt: *Ipsa cerevisia æstate mediâ confecta protinùs nobis invitis acescit: Neque ideo displicet, aut minùs salubris est. Nam in plerisque Angliæ regionibus in ipsa cerevisiæ confectione populatim certum acorem subitarium variis artificiis accelerant, quem nostrates Blenking appellant, nempe ad salubritatem, ùt vulgo creditur, conciliandam. Certò illa ratione & Stomacho concoquenti minùs laboris facessit, & valde diureticum est.* Scilicet à salis hordei essentialis per minima dissolutione, ipsa cerevisiæ visciditas corrigitur, & sanguis spissus resolvitur, si experimentis *Boerhaveanis inst. chym. tom. 2. part. 2. procesс. 39. n. 18.* credere fas est. Unde *Placotomus* acidas leviter cerevisias iis concedit, qui crassis succis abundant.

§. LXII. Oppones *1mo* illud scholæ *Salernitanæ*: *Non acidum sapiat &c.* §. *35.* *2do* acida nervosis, & teneris partibus inimica sunt, ùt patet in infantibus, hystericis &c. *Resp.* nos acidam, seu potiùs subacidam cerevisiam non nisi in biliosis, & ob stricturam ex sanguine incarcerato humorum crassitie laborantibus concedimus: secùs iis, qui aliundè acidum ex ventriculo eructant, quemadmodum hypochondriaci, & infantes solent: Deinde cerevisiam fortiter acidam omnibus denegamus, nisi fortè quis eâdem ratione, quâ spiritum nitri, salis

lis

lis &c. in nonnullis casibus propinare velit: Sed ingratitudo liquoris repugnat.

§. LXIII. Ex quibus omnibus per modum conclusionis cum Hoffmanno *Med. syst. tom. 1. pag. 366.* tanquam ex effectu colliges: Illam cerevisiam usui humano esse convenientissimam, quæ nec gravat caput, nec in ventriculo acescit, nec hypochondria inflat: Sed quæ modicè calefacit, aperit, nutrit, facilè secedit, & reliquas habet proprietates, quas §. 35. adduximus: Ubi verò hisce destituitur, vel interposito vini usu, vel aliis remediis tum ab ipsis Zythopæis, tum à Medicis corrigi solet. *Illi* aut cum lupulo, aut cum fermento multa convenientia, sed sæpè etiam dolosè lixivio cerevisiæ adiiciunt: Sic *Hornensi* prudenter addunt cremorem tartari, *Vinaceæ* vinum, **Einbock** melicratum, aliis alia, v: g: cortices citri, absinth. salv. lavendul. helen. flores sambuci, baccas lauri, Juniperi &c. Quare apud *Placotomum* prostant **Wermuth- Roßmarin- Salbey- Lavendel- Alant-Bier** **ꝛc.** quarum omnium vires ex materia Medica petendæ sunt.

§. LXIV. Nonnulli apud *Schrœderum lib. 4. cap. 39.* terebinthinam in cerevisiam infundunt, atque simul defervere sinunt pro potu ordinario in præservatione à calculo, viscerúmque obstructionibus: Sed ego minùs approbo; nam ob spiritum ardentem Therebinthinæ per fermentationem in cerevisia extricatum, caput magìs infestat, & cacostomachos præsertim in tenerioribus est, aliunde solitum in nephriticis symptoma: Vide Wedel. *amœnit. mater. med. lib. 2. sect. 1. cap. 4.* Pejor illorum mos est, qui adjecto sale communi excitatáque siti potatores alliciunt: Aut rosmarinô sylvestrî &c. inebriant. Pessimè verò decipiunt, qui loliô, vel hyoscyamô lædunt; námque plebs ex temulentia bonitatem liquoris mensurat, & sæpiùs repudiat, quas melioris conscientiæ Zythopæus excoxit cerevisias, ità nempè decipi vult mundus, quid enim ab emptis, potísque venenis præstolabitur? lolium præprimis sive pani, sive cerevisiæ misceatur, capitis infert dolorem, oculorum caliginem, veternum non hominibus infestum magìs, ac brutis. Anno 1342. prope Tigurim tantùm lolii voravit equus, ut veternô sepultus, & excoriatus sit: Verùm post somni consummationem equus sinè pelle cum ingenti incolarum stupore domum rediit, *Becclerus cynos. mater. med. volum. 3. pag. 198.*

§. LXV. Ex Medicis olim jam *Avicenna lib. de remov. nocum. in regim. sanit. tract. 5. cap. 18* Mauris suis commendavit potum ex frumento cum ruta, origano, & cinnamomo. Apud Septentrionales Medicos celebris est cerevisia antiscorbutica *Timæi in epist. lib. pag. 428.* ad cujus imitationem alia cum summitatibus pini, fol. cochleariæ,

rad-

rad. lapat. acuti &c. parari poteſt: Si *antihypochondriacam* deſideras, ſequens eſt:

℞. rad. cichor.	- - -	℥iv
Helen.	- - -	℥ij
Herb. ſcolopend.	- - -	M vj
Card. Bened.	- - -	M iij
Bacc. Junip. rec.	- - -	℔ ij

Jncis. & contus. Superfundantur 30 menſuræ.

Pro *cerevisia ſtomachica* hæ ſpecies ſervire poſſunt:

℞. Herb. abſinth.	- - -	℔ jß
Card. Bened.	- - -	
Roriſmar.	- - -	aa ℥iij
Rad. caryophyl.	- - -	℥iv
Cortic. aurant.	- - -	
Citri	- - -	aa ℥j

Fiat ùt ante.

Ejuſmodi cerevîſias quivis artis Medicæ peritus ad beneplacitum parare poterit, dummodo non recentes, ſed ſiccatas herbas, nè corruptionem cereviſiæ inducant, receperit, & calenti à coctura liquori conjunxerit, ut unà fermentationem ſubeant. Tandem ſopito fervore eximuntur ſpecies, cereviſia verò pro quotidiano uſu in vitrum ſtillâ longâ decidens infunditur; quam gratè ſpumantem tibi, Lector Benevole, hodie propino: Admove, difflatâ ſpumâ ad votum conſpicuam bibe, ſed propensô in me animô, & *ſalubriter*: memor ſcilicet Salernitani moniti:

De qua potetur, ſtomachus non indè gravetur:
Proficiat.

F I N I S.



VINUM AUSTRIACUM
Oeconomico-Medicè conſideratum,

QUOD

D. T. O. M. A.

DECRETO, AUTHORITATE, ET CONSENSU PERILLUSTRIUM, MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM, PRÆNOBILIUM, EXCELLENTISSIMORUM, atque CLARISSIMORUM VIRORUM, &c. Perilluſtris Magnifici, ac Conſultiſſimi Domini Univerſitatis Rectoris, Prænobilis, Spectabilis Clariſſimi, ac Excellentiſſimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæſ. Regiæque Cathol. Majeſt. Dominorum, Dominorum Conſiliariorum, & Archiatrorum, Profeſſorum &c. adeóque totius Ampliſſimi

D.D. MEDICORUM COLLEGII

In Celeberrima, ac Antiquiſſima

UNIVERSITATE VIENNENSI

IN INAUGURALEM DISPUTATIONEM PRO CONSEQUENDA DOCTORATûS LAUREA

Publicæ Diſquiſitione ſubmittit

FRANCISCUS ANTONIUS STEINDL de PLESSENETH,
BOHEMUS PRAGENSIS,
AA.LL. & Philoſophiæ Magiſter, ſaluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, nec non pro Suprema Laurea Candidatus, Illuſtriſſimæ Fundationis Windhaagianæ Alumnus.

IN PUBLICO D. D. MEDICORUM COLLEGIO

Horis poſt meridiem conſuetis Die 20. Menſis Auguſti Annô M. DCC. XXXII.

Viennæ Auſtriæ, typis Jo. Bapt. Schilgen, Statuum Prov. Inf. Auſtr. Typogr.

§. III.

Instrumentum per quod Divinus planè & humani generis usui destinatus liquor elaboratur, ac perficitur, vocatur *Vitis*, cujus derivatio non *à vino* ut quibusdam placuit, sed *à Viere*, quod alligare, vincire, inflectere interpretantur, desumitur. Describitur, quod sit *Plantæ genus flore rosaceo, plurimis scilicet petalis in orbem positis, constante, è quorum meditullio surgit pistillum staminibus stipatum, quibus flos rejici solet, pistillum autem abit in baccam mollem, & carnosam, succi plenam, quatuor plerumque seminibus seu gigartis fœtam veluti pyriformibus.* Harum innumeræ sunt species sic alia est *arbustiva, vidua, compluviata, pergulana*; alia *jugata, cantoriata pedata* alia, *lachrymans, siderata, laxatilis, &c.* Bœclerus *in Cynos. mat. med.*

§. IV.

Austriaci specierum numerum ab uvarum diversitate denominant, alias enim *odoratas moschatellinas, fuscas*, silberweisse/mehlweisse/abendröthe/Lagler/Gaißtutten ꝛc. vocitant. Ex his die mehlweisse à Vinicolis rarius esitantur, ob tormina & Dyarrhæam inde sæpe evenientem, crassæ plurimum dant musti: odoratæ ratione suavitatis moschatellinæ & Zirfandl tabulis opponuntur, atque à cervis etiam aprísque avidius devorantur.

§. V.

Vitis ob ambientis aëris & soli diversitatem diversum etiam profert fructum, ineptè enim quorundam curiositas Rhenanas, Italicas, Hyspanicásque sine illarum sole & solo in Austriam magnis sumptibus, sed nullo cum effectu invehere tentavit, inde fit, ut quæ loca meridiem vel orientem habent propitium ut Bisamberg / Nußdorff / Ober- und Unter-Krizendorff / & cætera supra Claustro-Neoburgum, si alia consentiunt genialius dant vinum nisi editior situs & adversi obstent montes ut in Wachaviensibus. Contra quæ boriam vel occidentem ut in Pirnwart auf dem Klesselberg & auf der Wart/ꝛc. ni alio repercussos recipiant radios ut Perchtolstorfii, præsertim in denen hinteren Sossen / quamvis hesperides exosculentur, nihilominus ob reverberatum ex collibus circa Radaun sitis, solem, Baccho favent.

§. VI.

Aërem diversæ ventorum tempestatúmque constitutiones modificant, nam si copiosior per annum auster, putrescit uva, si Boreas non maturat, hoc nos docet annus 1725. & præprimis 1730. qui gelu vindemias corrupit, acidum & olidum quasi sine spiritu vinum effecit. Neque calorem nimium vina austriaca requirunt: novimus quan-

quantô incolarum damnô maturæ nimis uvæ anni 1726. fuerint,dum paratum inde vinum æstate proxima fæces à fundo semovit, & apertam superiùs dolij partem, nos Peill appellamus, nigricanti vel variegatâ cuticulâ contexit,qua dein lentè præcipitatâ vinum fatiscebat.

§. VII.

Quid tempestates valent indies proch nimis experimur, nam quamvis mediocre tonitru aërem miscendo, concutiendo, temperandóque prosit, nocet tamen *primò* fulgur nimium, pampinnos adurit, florem enecat, quod vidimus annô 1728. in montanis Perchtholstorfensibut ubi corruscans ex sylva tempestas, medium quarundam subsequentium Vinearum tractum fusco pinxit colore; *secundò* pruina (quam solis calor sine antecidenti vento excepit) Duret. *coac. 31. l. 2. c. 16.* flaccido exsuccóque germine teneritudinem vere gemmarum, autumno pedunculorum semicoquit: ut præsentes Fesendorfensium quærelæ abundè testantur. *Tertio* quando ruinam efficit totalem, vel si quid relinquit quidquid contingit dura cicatrice maculat, & difficillimè maturescere finit. Felix igitur illa vinea, quæ talem à natura sortita est positum, ut hisce rarius sit obnoxia, similes reperiuntur Perchtholstorfii in Haspeln quas lædi postramas hominum memoria prodit.

§. VIII.

Multum præstat aër, sed non minus naturale solum, Boyle *P. m.* 86. *de infido successu experimentorum* scriptum reliquit. Austriaci montanorum & Danubiensium (ita appellant, quæ in plano crescunt) rationem habent; nos submontana addimus, quæ ad radices collium, & ordinariè montanorum nomine veniunt, situantur, Danubiensibus montana, submontana montanis, virtute, & gustu præstant; & in vindemiis media sunt; siquidem præscripto Celsissimi Regiminis jubetur, ut primò in plano dein sub- & tandem in montibus collectio inchoëtur: causa ex maturitate desumitur, nam in plano, & ad radices maturescunt citiùs, tardius in montibus, præsertim si quæ sylva vicina est, v. g. bey denen Planckèn/ ut à Pago Mauer ad Medlingam usque videre est; neque ferè si altior mons est ultra 400. circiter altitudinis suæ passus, ventorum aërisque asperitas bonas vineas sustinet.

§. IX.

Terra, quæ purius alimentum præbet, nobilior vinô est; in hanc classem venit terra nigra, nitrosa, salebrosa, limóque pauca quantitate mixta, per utramque subtilior non modò copiosiórque pars nutrititii succi in vasa utriculósque Malpighianos vitis transcolatur; ve-

 rùm

rùm etiam ſol fortius agit, elaterem auget, præmit, ſubtiliſat, fermentat; hinc ſubmontanorum montanorúmque bonitas, contra quæ terra purè limô lentoréque ſuô radices obducit, vias anguſtat nec ullum ferè præter aquam alimentum ſuppeditat multum quidem, ſed Danubienſe procreat Vinum.

§. X.

Nec minimum huic negotio ſymbolum conferunt ſubterraneæ à mineris diverſis elevatæ exhalationes: inde admiramur ſæpe exiguarum quarundam Vinearum præſtantiam, dum Vicinarum non ita, ut in Gumbalrskirchenſibus Cæſarianis apparet, rurſus alias vituperamus, inter quas meritò Badenſia, thermis vicina ob 🜍 craſſius numerantur, egregiè igitur qui eò ſanitatis causâ proficiſcuntur ſibi Viennæ de meliori proſpiciunt; illud enim quamvis bene altiúsque ſæpe coloratum, vappidum tamen, & narcoticum magis caput petit, urinarúmque fluxum minuit.

§. XI.

Multorum ſubiit adminationem, cur vineæ Danubio adjacentes, ut Nuſdorfianæ &c. cæteris præſtantiâ ſuâ emineant, ſed mirari deſinent, ſi conſideraverint, quòd æſtuantes de die radii non modò ab aquâ tanquam ſpeculô in viciniam reflectantur, verum etiam multum vaporum ſecum rapiant, quêis de nocte admoſphæræ frigore denſis in pampinnos cadentibus nutriuntur, emolliuntúrque fibrillæ, ut reſurgens manè ſol faciliùs in eas agere poſſit.

§. XII.

Videmus ſubinde quibusdam conſequenter annis vineas quasdam aliàs licèt fertiliſſimas bene cultas, ſteriles tamen, ſic Perchtholſtorfii vineæ ſubmontanæ jam novem circiter abhinc annis ſoſtrum fructu ſuo non perſolvunt, quamvis antecedentibus temporibus fertiliſſimæ fuerint, ratio Vinicolis nota eſt: nam quia ſolum illud ruffum nitrô calcariô & pauciori luto ſcatet, humidiorem poſtulat annum ſeu ut ruſtici ajunt (wann die Berg-Flüſſe gehen/traget bey ihnen die Ebene gut und ſchlecht das Gebürg) viciſſim cauſat annus ſiccus ut modò exiſtimant.

§. XIII.

Aſt nos non illam ſolumodo rationem adſtruimus, ſed potiùs catervam Bruchorum, majalium, erucarum, papillionum, vermiúmque omnis generis, qui montium horrent frigus, campos amant: horum pars vitium ſubit viſcera, rodit, donec marceſcat ſtipes, pars exteriùs tenuiora foliala turiones conſumit, atque acerrima mephiti

ſæpe

ſæpe ad interitum inficit: quin ſi homo quispiam vermium hujusmodi putrilagine conſpurcatus fuerit, manus in bullas, quaſi urticam tetigiſſet, cum ardore elevatur; Carnioli medelam in vermes habent fimum, quem ex copioſo inibi creſcente filice parant, hôc Vineas ſaginant, ſimul & medicantur, nos optimum cenſemus, primò vere orbiculatos eorum nidos diligenter colligere, & ſtipitem, ſcipionémque, cui alligatur, inferius terebinthinâ vel ſolâ, vel felle bubulo mixtâ illinere.

§. XIV.

Poſito natali, modus colendæ vitis apud nos pedatæ ſequens eſt: primò, factis vindemiis, lunâ plenâ, turiones cum lateralibus ineptè creſcentibus ramis reſecantur, palíque è terra extrahuntur (Stecken außziehen) & vineæ à lapidibus mundantur: Menſe Decembris illarum vitium ſarmenta abſcinduntur quas altior nix obrueret, dum verò ad principium Martii nix omnis diſparuit, per integram vineam labor iſte ſuſcipitur. Inſtituitur autem reſectio (Schneiden) hôc modô, quia plures ramulos unus truncus de ſe emittit, omnes ad ternos vel quaternos funditus aufferuntur: quaterni hi relicti etiam ita curtantur, ut non niſi duæ, tres, pro re nata gemmæ remaneant (eine jede Läß auf zwey Augen ſchneiden) ſi illos exceperis, qui infra truncum terram verſus novelli progerminant, (die Knieling oder Kindling an denen Waſſer-Reben) in his enim 4. vel 5. oculi (Roth-Aüglen) relinqui ſolent.

§. XV.

In quadrageſima primùm, & quidem ſumma cum ſolicitudine ad duas palmas terram paſtinant (das Faſten-Hauen iſt das beſte/ man muß alle Erde umbkehren) & luxuriantes radicum propagines ad tres in terram, oculos cultello amovent (abwurtzlen) ne tota ſideretur vitis, dein imminente germine vineta ridicis inſtruuntur, (Stecken einſchlagen) poſtquam autem palmites in ſpitamum excreverint, paſtinant curſus (das Jod hauen) id eſt, foſſulam arcuatam ad quemlibet truncum ob pluviam ducunt, mundant ab inutilibus herbis, ſurculos, omnes orbos racemulis decerpunt, divites ſtramine colligant, ſingulos inferioribus duobus pampinis privant, appellatur hæc operatio (das Jöden) & paulò poſt palo alligant (binden) ut à ventorum injuria defendantur. Dum jam uvæ inſtar piſi excrevêre, tertia vice leviter paſtinatur (das Band hauen) & cum molleſcunt, ridicæ, quas boreas evertit iteratò eriguntur, iiſque æqualiter cacumina vitis pampinantur (abgipfeln) tandem ſequitur ul-

tima paſtinatio (das weiche Wein-Hauen) in qua humus cui botri ſuperjacent non nihil effoditur, ut liberè pendere valeant, ne putreſcant, inſuper pergulæ inferiores quæ hucuſque in grandinis munimen erant relictæ, returduntur, ut ſol promptius penetret.

§. XVI.

Hæc in cultura, ſed propagatio multò eſt curioſior, hebdomada ante vindemias nobiliſſimæ ſtirpes uvarum plerumque argenteô albi coloris, feraces (die Silber-weiſſe) (quia ſingulis annis ſunt fertiles) ſalice notantur, (Stöck außmercken) atque ad finem autumni inania inter ſtipites loca (die läten Pläze) unius pedis latitudine, & trium profunditate fodiunt, aquarúmque ſubinvie (mit dem Schlam) vel herbidâ terrâ (mit Waſen) implent, totum opus appelatur (Kräfften) & quadruplici modo propagationem inſtituunt, primum vocant (Bögen ſetzen) & ſarmentum abſciſſum, illâ quâ excrevit directionis lineâ, oblique in foſſas ſuperius paratas fortiter in parietem innitendo, & compreſsâ ſatis deſuper glebâ, reponitur, duobus in aëra gemmis eminentibus.

§. XVII.

Secundus modus majoris apparatus eſt, dum illa ipſa ſarmenta ut decet à lateralibus ramuſculis purgata, tercenta fere in unum faſciculum firmiter colligantur, in aquam reponuntur, donec pari ordinariè tempore & hæc & Vineæ germinent. Demum effoditur foſſa trium quatuórve pedum lata, oblonga & profunda pro rei quantitate, cujus fundus aſſeribus ſubſternitur, in hanc inverſi reponuntur faſciculi & tignis ita arctè ad invicem adiguntur, ut dimidium foſſæ ſecundùm longitudinem inane perſtet, quod aſſeribus probè contegitur fornacis halituoſi, (an ſtatt eines Dunſt-Ofen) vices obiturum; Cæterùm ſpatia quæ inter faſciculos, & ſarmenta intercedunt, probè muſco occluduntur, qui primùm iis etiam laxè ſuperſpergitur, dein terra, ac tandem inutiles & abſecti palmites ſingulis fere diebus aliquod amphoris aquæ irrorandi. Taliter parata ſarmenta appellant, (die Stürtz-Reben) quæ apparentibus menſe Junio ad feſtum Divi Joannis radicum ſignis tempore pluvio vineis, ſimili modo, quo §. 16. erecta tamen ſurſum baſi terræ committuntur.

§. XVIII.

Reliqui duo modi connato fiunt palmite, prior illum in arcum flectit, (Bögen legen) circa medium palmari terræ quantitate ſic obruit ut extremitate ſua tantùm immineat, quantum poteſt. Poſterior majori eget labore nominatur (das Grueben) dum autumno aut

melius

melius primo vere, penes ſtipitem foſſam effodunt profundam ad genua usque, ſi per rumpos (noſtrates pontes [die Brücken oder neugelegte Zäune] vocitant) licet, dein cultâ terrâ leniter implent (mit der Bau-Erde zuziehen/) & in ejus medio ſarmentum fere horizonti paralellâ jaciunt, fortiter conculcant, dimidium pytinæ fimi ſuperaddunt, & rurſus terrâ ita condunt, ut tamen oculi duo palmitis ſint in conſpectu.

§. XIX.

Ultimus ex his modis cæteris latius patet, nam præterquàm quod alias ſæpe, & §. 14. in novellis infra truncum progerminantibus (in denen Rothäuglen) & §. 18. (in denen gelegten Bögen) propter nimiam fertilitatem labefactatis neceſſarius ſit, pariter §. 16. adminiſtrari debet, ſed diverſo tempore, nam primô trienniô infertilis integra eſt vitis & deinceps vix capax ob ligni penuriam operationis §. 18. poſterioris. Aſt quæ §. 7. docentur non modo primô aliquando annô fructificant, ſed etiam alterô tantam mollem adipiſcuntur, ùt cum fænore modum propagandi ultimum habeant. Poſtremus igitur §. 18. modus ideo inventus eſt, ùt & multiplicentur & longius duraturæ fortiores fœcundiorésque ligno fiant vites, nam illô ipsô talis ſuæ ſitionis annô botris ſuperbiunt, ſecundô dein annô profundius, ligni generandi cauſa, novelli palmites abſcinduntur, hinc & minus fertiles; at tertiô rurſus & ſubſequentibus annis fertilitate nemini cedunt.

§. XX.

In dictis vindemiis botri à petiolis reſecantur, pytinis (Butten) in acratophoram (Mostel-Schaff) deportantur, & pro faciliori expreſſione fermentationéque piſtillis contunduntur: inde in cados (Podingen) elutriantur, & jam nomine chymus (Masch) appellatur, quod in doliis ampli orificii (die Läydt) domum devehitur, prælo fortiſſimo bis tervè committitur, donec ultimam ſtillaverit guttam, quod remanet ex acinis, folliculísque compactum, ita proportione ad chymum ſe habet, ut in hujus 18. urnis, illius 3. & 15. muſti communiter eſſe cenſeantur, dicuntur Vinacea (die Weintreſter) in acetum, pecoris nntrimentum, vel alios uſus reſervanda. Prima preſſio dulcius nobiliúsque muſtum plorat, poſterior aciduis, cæterum â prælo per canalem in minores cados profluit & hinc aut per utrem oblongum (Schlauch) doliis in œnopolio infunditur, aut per ſetaceum trajectum in majores cados deportatur, dein pro commoditate, quo citius tamen eò melius ne nimis evaporet doliis ingerendum.

CAPUT

CAPUT II.
Progressus & conservatio Vini?

§. I.

SI tempestas calida §. 5. & ex uvis maturis mustum confectum est, non modo in doliis sed in cadis quandóque etiam fermentescit, tepore, sybelo blando, & bullis innumeris magnis, & vario, amænóque colore splendentibus, toto liquore sese motitante, ejúsque spatium occupante, sapor dulcis in acriusculum mutatur (der Most bekommt die Schneid) atque halitus suffocantes candelámque extrinquentes totam implent cellam, ideo ne subitaneum vitæ periculum incurrant ji qui vino provident, aut patentes relinquunt fores, aut ignem usque dum primus saltem fervor se atterat accensum servant, hæc omnia segnius lentiúsque fiunt tempore frigido, uvis acidis &c. ut anno 1730. vidimus & ordinariè in vinis Gilshiblensibus videmus.

§. II.

Absit igitur, ut in principio dolium totaliter impleatur, vel operculô muniatur, ibi oram effusus liquor transcendit, hic ingenti cum fragore rumpitur vás; circa festum tamen Divo Martino sacrum furibundus ille motus, fæcibus ad fundum positis, complanatur, & quod prius mustum, nunc vini nomen induit, resarcitur quod in vasis extat inane (die grobe Fühl) & in tali statu ad æquinoctium usque vernum lapide solumodo contectum permanet.

§. III.

Ad æquinoctium veris autumnique, quin & dum florent vites vinum turbatur, leniter fermentat (der Wein steigt) & quod melioris est notæ ruptis bullis exiguos & interpollatos aliquando sonos edit (der Wein plodert / wird gut) viscositatémque suam imminuit, sed elapsis quibusdam septimanis cessat rursus nova hæc fermentatio (der Wein fallt) effluviis enim, motu elatere, & gravitate ambientis aëris iis temporibus immutatis, pressiones agitationésque novæ fiunt, donec rursus æther consuetus redeat.

§. IV.

Durant nostra vina (seynd Lager-Wein) & ætate crudiora meliorantur, sic vinum acidissimum Wachaviense ex oblivione per 20. prope annos Melicii reservatum adeò bonum evasit, ut in tota famosissimi Monasterii cella præstantius haud inveniretur, interim am-

gnum

gnum in ætatibus discrimen intercedit: Danubiensia limô plena orba spiritu post annos tres; quatuor citiúsve pro diverso natali, & maturitate fatiscere inchoant, montana diutissimè durant, quorum quædam ut in Nußberg / Heyligen-Stadt / Claustro-Neoburgo, Medling / Entzerstorff / Brunn / & submontanta velocius perfectionis gradum attingunt, quædam vix 10 aut 15. annis ut in Maurbach / Peechtolstorff / Rodaun eò perveniunt, ut gratum salubrémque sine aciditate manifesta potum præstent, causa in tartari fæcúmque majorem minorémve crassitiem, copiam cruditatum refunditur, ideo

§. V.

Cellarii non nulli (Keller-Wein-Leutgeb) dum satagunt ante tempus hornum vino saporem odorémque demere, illud circa poscha &c. de uno in aliud vas diffusum fæcibus privant (Wein-abziehen) ac dein sæpius, vel singulis annis repetunt, unde quidem ingratô illô hospidis adhuc Salibus onusto spiritu evaporatô amænitas aliqua conciliatur, verùm consultius est abstinere, ut non tam illius defectu, quam angulorum per diuturnitatem attritione gratum evadat, etenim non eadem cum Rhenanis Austriacis est ratio, illa subtilia & magis spirituosa fæcum robore non indigent, nec alimentum sed damnum ex iis elevatis perfacilè capiunt, nisi quinis mensibus abstrahantur hæc cruditati & gravitati fæcum inclusum habent spiritum, pabulum, fomentum, quodsi tempore aut ardore solis fortius exaltantur, multa non solùm ad Rhenanorum indolem saporem & ardorem accedunt, sed etiam eadem à fæcibus fata patiuntur; ùt annô 1726. cap. 1. §. 6.

§. VI.

Hæc de progressu, nunc conservationem hypogæis vasis, aliísque meditamur. Hypogæa seu cellæ vinariæ quo profundiores, sicciores, æstate frigidiores, hyeme calidiores eò meliores, tales reperiuntur in editioribus Viennæ locis in via regia, Rennweeg / ad Mariam Auxiliatricem, & cõtra, quæ humidiores, cavæ, vix aliquot gradibus in terram progredientes, ut ad turrim rubram, portam novam, in Leopoldina, Rossa via, apud albicerdones &c. Vino conservendo ineptæ sunt, utpote quæ corruptionibus authoribus aëris nempe vicissitudinibus, calori, tonitrui facile obsecundant. Memorabilis inter cæteras cella Liesingensis AA. RR. DD. Canonicorum Regularium ad S. Dorotheam est in via ripæ, quâ (in Kalrenleitgeben) itur, nam præterquam quod plaustris introitum concedat, per vineam integram extensa quadruplici ingentium vaso-

 rum

rum ordine instruitur, & indies amplius augetur, tanta liberalitate, ut nulli hospitum potum recuset.

§. VII.

Dolia non oblonga ut Rhenana sed in circulum constructa sunt, si nova, ustulantur primò tantillò pro vasis magnitudine vini spiritu, cum strepitu gravi, & ob aërem rarefactum periculosô, ni per vices orificium centonibus occlusum reseretur, dein aqua fervente eluuntur, ac tantem incoctis vino cydoniis &c. odor conciliatur; Optima illa sunt queis vinum prius dudum inerat, & recenter evacuatum est, (die Wein-grüne Vässer) sed nisi mox impleantur, aut sulphuris vel potius macis aut aromatam fumo imbuta ocludantur, in poris stagnante humiditate situm inter dolium & tartarum contrahunt, à quo obrasione, catenarum ferrearum frequenti rotatione, elutione &c. vix liberantur.

§. VIII.

Idem vitium & vina non tam horna, montanta, & fortia quam danubiensia, tenuia & vetera capiunt, nisi setis instructa porcinis rectangulò (mit der Peil-Bürsten) ad quadratum superioris tabulæ foramen plena singulis septimanis purgentur dolia, & id quod exhalavit, (mit den Füll-Wein) ordinariè vino juvenali, seu quod suaderemus potius proportione servata fortia fortibus levia levibus noviter restaurentur.

§. IX.

Præ reliquis verò id mali patiuntur vina in vase cujus pars notabilis indies exinanitur (die in den Zapffen gehen) nam totum supremum vini planum, quasi albo quodam pulvisculo conspersum aut cuticula tectum conspicitur, (der Wein wird kanicht) sed ab hoc præcavet medela §. 7. & varia instar sparadraparum inde composita, inter quæ eminet der Jesuiter-Einschlag / vel potius recipe Oleum Nucist. Unciam j. Olei Benzoin gut. iij. Ceræ ℥j. Terebinth. Scrupul. ij. Cinamom. Scrupul. j. Caryophill. aromat. ℥j. misce pro sparadrapa, aut quod cariori est pretio. ℞. Ol. Nucist. expres. Uncis, Ol. Caryophill. ℥j. Ol. Cinamom. Scrup. j. Camph. mosch. (NB. ratione feminarum aliquando omittitur) ana Scrup. s. f. ut prius. Sed advertendum in malo diuturno nihil prodesse, ab halitibus enim graveolentibus humidis copiosisque extinguitur, quam primùm dolio immittitur flamma: der Wein nihmt keinen Einschlag an.

CA-

CAPUT III.

Corruptio & Medicina Vini.

§. I.

QUadruplex obſervatur Vini in deteriorem ſtatum progreſſus: aut enim color & grata ejus pelluciditas turbatur, aut conſiſtentia immutatur, aut alienus ſapor inducitur, aut tandem totaliter fatiſcit. Omnis tamen in eo convenit, quòd vel in toto vino corruptio hæc obſervetur, vel in ſuperiori tantùm vel inferiori dolii parte, medio exiſtente bono, prout aut fæces aut negligentia eorum quæ c. 2. §. 7. & 8. dicta ſunt, vel aliæ cauſæ acuſantur. Primus ſuam habet latitudinem; turbatur enim & in pallidum album cereviſiæ ſimilẽm, rubentem, viſcidum, nigricantem, vel quaſi ceruleum colorem permutatur (der Wein bricht ſich) neque ſingulis annis eodem modo ſic annô 1717. -20. -23. -24. -29. albeſcebat annô 1715. -18. -25. -28. rubuit, Annô 1701. -2. -26. *ex c. 1. §. 4.* nigricabat, quorum ultimum difficulter, cætera facilius medelam admiſêre, ſed advertere oportet dari quædam vina præſertim horna, quæ ab incunabulis pallent talia ſunt plerúmque danubienſia ad (Breiten See / Pockflüß) & lacui Hungarico vicina, ex montanis verò Gumpholzkirchenſia & ex uvis immaturis 1713. -16. -19. -30. expreſſa, igitur ſignum pathognomænon ſtatûs præternaturalis eſt, concomitans ſaporis, & odoris amæni deperditio, & ingrati ſine vitibus aquiſitio.

§. II:

Cauſæ præter aſſignatus c. 1. §. 6. c. 2 §. 4. & c. 3: §. 1. ſunt, *primò* frigus, ſic quæ hyberno tempore è longinquo advehuntur, aut glacie indurantur, quam primùm liqueſcunt, cereviſiam referunt, & ſucceſſu temporis in cellâ ſponte quidem ad ſe redeunt ſed imminuto vigore, *ſecundò* calor nam etiam ſi puriſſimum vinum coquas, ſpumat, ad fundum fæces præcipitat, & ſi id lentè diuque fiat, orbum ſpiritu labem contrahit; *tertiò* motus diuturnior: ideo in cellis portatilibus turbatam perſæpè conſpicimus (der Wein ſchlagt ſich ab) quod non niſi unitis viribus, dum è lagenis in vas elutriantur, ab impuritate ſe liberat; *quartò* efluvia ex cereviſia, ligno adjacente, braſſicâ conditâ, caſeo, carnibus recentibus, ſylveſtribus, feminis menſtruantibus, præſertim valetudinariis, quò enim vinum fortius, eò promptior ejus corruptio ſic urnam vini hugarici optimi de annô 1720 cujus menſura florenô vix eſſet venalis à feminis in albo-turbidam vap-

 pam

pam degenerasse novimus. Omnes tamen causæ in eò cöeunt quatenus spirituum penuria tartaro &c. ad latera propellando est incapax, vel hostiles continuo â fæcibus corruptis elevantur copiæ (der Wein hebet sich) vel miscela ejus in ⊖, Oleo, Spiritu, & Aqua, ex integrô disjicitur.

§. III.

Ars modum invenit quo causis ammotis vino ægrotanti succuritur, *primò* putrescentes &c. fæces amoventur, substitutis ditioribus pauperies spirituum levatur, & *duæ tertiæ* musti, aut melioris Bacchi commiscentur; deinde verò etiam quidquid non morbidis modo vinis, sed & hornis aut quæ cito clarescere volumus turbulenti inest, per coctam ichtyocollam ad fundum præcipitatur, (die Wein richten) cum hac tamen cautela, ne ita recenter persanatum vinum per noctem in vitro &c. detineatur, aut peregrê transmittatur; secus enim nondum ad fundum depositâ ichtyocollâ in meros exiguos albidósque hinc inde voletantes abibit lacinias.

§. IV.

Alterum vitium in priori quodamodo includitur & specialius glutinositatis, nomine venit (der Wein wird zäch) guttísque oblongis, odore gravi, quasi meris uvis scateret, lento fluxu sine strepitu, & bullis diu ex margine persistentibus se patefacit, in hoc propendent vina quæ aut nimis aut minus maturuerunt, Danubiensia præ montanis, hæc viridescentem, illa ut Purkhaviensia, Stamerstorfiensia, &c. aqueo albidum colorem inducunt, causæ sunt §. 2. expositæ, item fæcum viscositas, & elateris imminutio quæ tamen fere semper remediis §. 3. & forti immissarum catenarum agitatione, aut super scopas novas in gutturnium (Gieß-Kanne) affusione restitui possunt.

§. V.

Vinum quandoque à natua §: 10.; vel annorum diversitate ut 1713. & 27 in bonitatis notam amaricat, quasi sulphure condiretur quandoque verùm, dum invia ad corruptionem est, insuetam & rancidam amarulentiam à causis §. 2. præsefert, spirante aciditatem odore (der Wein zickt) & paulò post tartaro super spirituosas partes prædominante in acetum permutatur, nisi diligenter ea quæ §. 3. docentur, observentur, aut alia obvolventia & absorbentia ut lardum caro suilla, triticum, lignum salicis, cineres &c. in pica mulierum usitata secundum *Gratarollum* immergantur, usitatissimum est scacharum ustum cum ichtiocolla in mensuris 8. lactis incoquere & dolio 20. ur-

narum

narum immergere, ſed tunc ea qua poteſt celerirate divendatur,ne uti ſolet citius corrumpat.

§. VI.

Tandem ſupremum omnium malorum vappa tanquam ſphacelus vini eſt, ſeu à tonitru ſeu ab ijs quæ §. 2. præſertim n. 4to memorantur, inducta ſit, rarius tamen hoc malum fit, ſed dum advenit fætet, peregrinos intendit ſapores, colores, fuſco-nigricat, & nec acetum nec ſpiritus inde utiliter elici poteſt, ut patet in vino cocto quo nova dolia §. 7. c. 2. elui ſolent; igitur remedium nondum eſt cognitum quo in priſtinum ſtatum reduci poſſet, uſum ſaltem aliquem in cæmento ad ædificia conſtruenda obtinet.

§. VII.

Quemadmodum homines debilioris conſtitutionis à gravi ægritudine curati ex levi cauſa ſæpe recidivas patiuntur, ita & vinum §. 4. & 5. ægrum, in tali caſu alij ſyrupos cordiacos roborantes ex vinis generoſis aromatis ſaccharoque &c. comiſcent, & non nunquàm ſub tali larva luridiſſimas merces caro ſatis pretio divendunt, quod an non aliquando vinis ſub ceraſorum acidorum nomine (der Weichſel-Wein) eveniat, viderint ij qui ſæviſſimos ab his dolores colicos, febres, &c. reportârunt.

§. VIII.

Alii etiam malæ feriatæ conſcientiæ caupones lythargyrium & biſmuthum imiſcent, verùm quæ à vinis lythargiriatis pareſes colicæ &c. superveniant ſuperiori ſæculo ex Ducatu Wirtembergenſi triſti experimento diſcimus M N I. *an. 5. & 6. obſ. 259. p. m. 601.* à biſmutho autem quid ſperandum, Arſenicum ſatis cui ſemper adjungitur nos monet, nam præter colicam cujus M N c. in Monachis meminerunt, dyarrhæam & mortem ſubitaneam cum inflammatione corporis obſervavimus à vinis illis factatiis quæ annô 1726. publicè in area (Graben) appellata pertuſis ſaluberriæo Celſiſſimi Regiminis juſſu vaſis deperdita fuerunt, utinam ſæpius in tabernas ſalutaris hæc animadverſio inſtitueretur, perſæpe fortè in fundo vaſis ex quo venale depromitur Vinum (Weinleutgeb-Vaß) ingens corrupti fætentis vas ipſum nigredine inficientis magmatis quanritas mixto gravi terreo-metallico pulvere tamquam orthodoxô biſmuthi &c. ſignô inveniretur, quod etiam relictis per 24. horas vinis ſimilibus in vitro & ita ex pulvere ad fundum præcipitato vappeſcentibus inferre licet, principaliter vina lythargiriata atramento ſympathetico *aput lentilium in Jatromnematis practicis* explorantur, per coloris ſubitam mutationem, illa verò

 quæ

quæ melle &c. dulcificata sunt, facile ad *Gratarolli* methodum discernes si super laminam ferream cardentem aliquod guttulas effuderis, evaporat nimirum vinum remanente melle.

CAPUT IV.

Principia & selectus ordinarius Vini.

§. I.

IN dolio trium diversorum corporum existentiam fæcum, tartari, & vini, vulgus novit, depositis facibus vinum fit C. 2. §. 1. & 2. quæ rursus nisi obstrahantur, temporis spatio minuuntur subtilisantur (der Wein frißt die Mutter.) & fere nunquam ad tantam devenit vinum puritatem, ut dum quiescit in magno diu vase nullas omnino fæces ad fundum præcipitet, ratione loci temporis &c. varias; ex montanis splendidius flavent copia pauciores sunt & in urna vini earum mensura una delitescere censetur, danubiensium contra viscidæ. graves, fulvo-pallentes, prædominatur in earum principiis phlegma, & terra, attamen semper fere sunt vino suo spirituosiores & quo ex dulciori antiquiori maturiori & nobiliori sunt progenitæ, eò quantitas ardentis spiritus destilatur major, suavior, fortiórque, ideo Tokainæ atque Hungaricæ non pretio modo sed & spiritibus inde elicitis duplô superant Rhenanas, & hæ tandundem Austriacas; Nostri Domini Pharmacopæi ol. vini ex fæcibus & Junken copiosum ⊖ volatil. conficit.

§. II.

Quàm primùm fæces deposuit mustum acidæ vini partes protruduntur in peripheriam vasis, si supremam quandóque clavellam & infimam, hanc ob fæces illam ob pressionem minorem exceperis, fiunt tartarus in doliorum firmamentum, quibus fortiter ita adnascitur, ut non nisi vi separetur aut negligentia eorum qui vasa inanita non condiunt §. 7. c. 2 & aperto diu orificio aëri exponunt; nam quamvis alias juxta Porhav. *tom.* 2. *pag.* 12. doctrinam tartarus 20. partes aquæ & ignem bullitionis ad crassiorem solumodo sui solutionem postulet, noster tamen non tantùm sponte sua in superficie dolio proxima mollescit, exteriori sæpe sicca & bona existente, & sub hoc larva malum §. 7. c. 2. ocultissimè producit: verùm etiam si aëri pluvio longo; tempore exponitur, quasi crasso solutus deliquio in nigrescentem abit liquorem.

§. III.

§. III.

Nuper in Dolio cui 30. Urnæ Perchtoſtorfenſis vini ab annô 1729. uſque in elapſæ hyemis principium inerant, duas libras tartari invenimus, minor quidem quantitas reperietur in in vinis Hungaricis, Rhenanis, vetuſtis item Danubienſibus, aut botrorum maturitate conſpicuis, ſed major in montanis noſtris acidis hornis, immaturis, & à fæce ſua nondum abſtractis, variat tamen quibusdam annis tartarus, annô 1720. 21. 24. copioſior erat & ſplendidior cæteris. Color fuſcat, naturaliter hinc inde ſplendicat, & talis etiam fere poſt contuſionem remanet in Auſtriaco, dum econtra Rhenanus & duritie eſt mollior, & pulveriſatus colore fit albicantior, ſapor ad ſalſo-acido-terreum vergit, unde etiam ad aceta paranda adhibetur.

§. IV.

Deſtillationi ſubjectus tartarus, dat *primò* igne arenæ lento ex retorta ad tertiam partem vacua aquam ſpirituoſam amaram ſubaceſcentem & optimè licet lutatas commiſſuras penetrantem, *ſecundò* vaporem ſubalbidum cum ſpiritu valde penetranti una cum ol. tenui nigro grato, neque potenti coërceri ullo luto; *tertiò* Ol. craſſum fætidum ponderoſum per rectificationem multâ depoſitâ terrâ in prius convertibile, *quartò* Junk. *chym. experim. pag.* 164. addit ſal vol. ſi ignis gradus probè reguntur, *quintò* in fundo maſſa nigra manet ſaporis Alcal. urentis, quæ in aëre liqueſcit in Ol. ſubnigrum, Bœrch. *l. c.* ex 25. libr. tartari crudi Auſtriaci in igne aperto calcinati ſalis tartari valde elegantis lib. 6. fere aquiruntur, & alkalinin n. 2. Unc. xiiij. & olei fætidi ℨ jx. ordinarias ex tartaro compoſitiones ùt Tinct. cremorem &c. ex Diſpenſ. Viennenſi, volatiliſationem ſalis tartari ex Junkenio l. c. petes.

§. V.

Dum unum alteri vinum in dolio notabili quantitate, & lentè per ſaccum linteum miſcetur, inter duas adhuc horas inſignis utriusque ſecundùm characteres proprios differentia percipitur, aſt dein non ampliùs. Dum verò longo tempore quietũ perſeverat in ſuprema & infima ſui parte (ibi propter ſpiritum deperditum, hic craſſiorum comixtionem) deterius eſt, quam in media, unde ex uno vaſe 8. & 12. crucieris &c. dividendi non nunquam ſolet, curioſiores ova filo in dolium ſuſpenderunt, ſuper quæ tartareus recenter inducitur cortex, & intrinſecum vini tartarique motum patefacit, quô imminutô malum c. 2. §. 3. ſubſequitur.

§. VI.

§. VI.

Mustum nondum fermentatum Chymiæ expositum dat *primò* phlegma dein copiosum Ol. ast quamprimum fermentavit in vinum, alia principiorum est ratio. *Salæ in anatomia Antimonii* apud Schrœderum à vino obtinuit, *primò* spir. ardentem, *secundò* magnam copiam aquæ insipidæ, *tertiò* salem vol. sub forma fumi ascendentem, *quartò* huic mox subjungitur oleum quoddam verè pingue inflammabile, sed paucum, *quintò* ex capite mortuo extrahitur, sal quoddam corrosivum, *sextò* post extractionem salis relinquitur terra limosa inutilis; nos 4. vinorum Austriacorum anni 1727. cujusvis lib. ij. destillavimus quorum priora duo inter danubiensia posteriora inter montana excellunt, & dedit

	Drachma.
Aspernense,	
Spiritus ardentis debilioris circiter - - -	- - 28.
Phlegmatis acrioris - - - -	- 153.
Extracti pinquis crassiusculi & in aëre tenuioris instar mellis cum grato odore diffluentis - -	- - 10.
Polstorffense,	
Spiritus ardentis parum fortioris - -	- - 32.
Phlegmatis - - - - -	- - 149.
Extracti acidi pinguis mellis instar gratè olentis -	- - 9.
Krizendorffense,	
Spiritus ardentis - - -	- - 51.
Phlegmatis acris - - -	- - 133.
Extracti - - - -	- - - 5.
Mauerbachense,	
Spiritus ardentis bonæ natæ - -	- - 49.
Phlegmatis - - - -	- - 130.
Extracti - - - -	- - - 8.

§. VII.

Spiritus ardentis in vino existentiam nemo negat, at cujus is naturæ sit ingens est controversia, qui acidum esse statuunt seqûentibus utuntur rationibus, *primò* in spirit. salis armoniaci vel urinæ puriori in offam albam concrescit, sed contra est quod tartari sal cum aqua fontana, item sal tartari cum oleo tartari secundùm *Bohn* non nihil effervescat. *Secundò* calenti sanguini affusus effervescit sicut Spirit. Vitrioli, at non semper quin potius pro diversitate sanguinis. *Tertiò* Tinct. Myrrhæ castorei cum spir. vini parata per spiritum salis armo-

niaci

niaci præcipitatur, ſed contra in præparatione Reſinæ Jalapæ &c. fit præcipitatio etiam per aquam; *quartò* Vinum generoſum per Alkalia v. g. cretam, corallia teſtas ovorum ita enervatur, ut martem non agrediatur, & deſtillatum paucum & debilem dat ſpiritum; *quintò* ſpiritus ardens ex aceto ipſo extrahitur, imò & à ſaccharo Saturni, ſed contra nullum corpus alkalinum &c. reperitur, quod non de contrario fere participet; *ſextò* remedia alkalina ebrietatem præcavent, ſic ſinapi jejunô ſtomachô, aſſus pecudum pulmo ex Plinio: & allium ex Hypocr. *de victu in acus. n. 59.* recommendatur, ſed contra acetum etiam, & ſuccum ſemper vivi Etmüllerus pro Epithemate capitis in ebrietate concedit.

§. VIII.

Qui alkalinum vini ſpiritum eſſe contendunt, nituntur ſequentibus: *Primò* nullus ſpiritus acidus eſt inflammabilis, ſic pulvis pyrius, ſi ſpiritu vitriol. irroretur non accenditur, ſecus ſi ſpiritu vini. *Secundò* Vinum & Spiritus ejus prodeſt in ulceribus, & cangræna, in quibus ſæpe pro cauſa acuſatur acidum. *Tertiò* Spiritus vini nunquam aceſcit, ſed ſolùm diuturnitate temporis lanquet; item vinum aceſcens parum dat ſpiritûs, ideo potius vina corrupta quam aceſcentia emuntur pro ejus deſtillatione. *Quartò* Spiritus Nitri per Spir. Vini dulcificatur, & notabiliter efferveſcit. *Quintò* Spir. Vini ſinè deſtillatione per iteratam ſalis tartari, calcis &c. infuſionem rectificatur: ſed contra etiam ex ſpiritu rectificato & ſale tartari fit *balſamum Samech Paracelſi. Sextò* Vina generoſa podagricis minus nociva ſunt quàm tenuia & acidula, ſic Vina Rhenana *à Sylvio & Cratone* conſequenter & Auſtriaca damnantur, commendatur verò Vinum Hungaricum malvaticum &c. parva quantitate ſumptum, ut habet Ramazinus *de morb. opif. c. 21. ex Williſ. & Helmont.*

§. IX.

Cellebrem hanc controverſiam dirimit Boerhav. *inſtit. chym. tom. 2. p. 126. proceſſu 46.* quoniam enim *primò* in rectificatione ſpiritus ardentis per. ſerpentem ſtaneum tamdiu continuatur deſtillatio, donec aqua acidula incipiat prodire, ſeu duæ tertiæ ſpiritûs rectificati exiverint; & *ſecundò* in fundo aquæ acidulæ parum ſpirituoſæ, & *tertiò* aliquid olei ſaporis & odoris ingrati reperitur, conſequens eſt in ſpiritu vini ordinario triplicem illam ſubſtantiam latitare, at qui alkohol primùm prodiens acidum dixerit profectò graviter errat; nam neque in ſe acidum, neque alkalinum ſed purè ſulphureum eſt, indeferens ad

C utrum-

utrumque, siquidem si abstrahatur deinceps super alkalina, effervescit cum acidis; si insuper acida cum alcalinis ergò.

§. X.

Nunc potius in bonitatis vini notas inquiremus: Es seynd drey harte W/ das Weib/ der Wirth/ und Wein: doch seynd sie werth geacht/ wann sie ohn Laster seyn. Oportet autem in vinis bonis sylabam *cos* vel potius vocabum costa reperiri, id est sint colore, odore, sapore grata, tactu frigida auditu strepitantia, seu ut schola salernitana canit:

Fortia, formosa, fragrantia, frigida frisca.

Particulariter verò bonitatem vini cognoscimus: *primò* ex loco natali, c. 1. §. 8. 9. 10. *secundò* situ vindemiarum, c. 1. § 5. & 11. *tertiò* maturatione uvarum, c. 1. §. 6. & 7. *quartò* defectu vitiorum c. 3. & c 2. §. 9. cuticulæ albæ & qualitatum peregrinarum ad superius dolii & inferius foramen, c. 3. §. 1. *quintò* senio, c. 2. §. 4. & 5. *sextò* colore naturali pellucido, claro ferè auri instar fulvente, non ruffo, aut saturato, *septimò* sapore amarescente, c. 3. §. 5. aut apicem linguæ suaviter fortitérque secundùm terræ genium penetrante, nulla dulcedine adstrictione, viscedine, aut aciditate manifesta; verùm hanc ultimam egregiè mentiri ænopolæ solent, Danubiensia montanis permiscendo, ut rara sit avis in publicis hospitiis, ne dicam alibi reperiri castum à natura vinum, *octavò* odore vinoso, reficiente, sibi proprio, gratóque (c. 2. §. 8. ad finem) ex ore paululum clauso accellerata leviter in & expiratione per coanam ad nares & caput delato, *nonò* quod non modò in dolio blatret, c. 2. §. 3. sonúmque continuum edit, si certum genus syphonis vitrei (Heber) in id immititur verum etiam dum inde exceptum vitro infunditur elasticâ suâ vi acriter residit bullásque & cito format & in momento deperdit; bonitatis pariter nota est. Si *decimò* cito pertransit renes, coctionem juvat, altero mane madorem lenem causat, liberalius haustum ad calculum non disponit. *Undecimò* ovum recens & sibi impositum nigredine tanquam sulphurationis signo non inficit, aut *duodecimò* se solo per noctem in vitro repositum sensibiliter non mutatur; aut *decimò tertiò* destillatione multum boni spiritûs ut §. 6. Mauerbachense & Kirchendorffense fundit, remanente, *decimo quartò* extracto acido parva quantitate ut loc. cit.

§. XI.

Inferior solummodo Austria Vinô superbit, cumprimis (in denen zwey Vierteln unter dem Wienner-Wald und Meinharts-Berg) in cæteris duobus quadrantibus si Greiffensteinense, König-stetten-

ſtettenſe & Tulbingenſe exceperis, minoris ſunt momenti," ſingulis ferè annis in publicis calendariis & ſæpè inæqualiter divulgatur, qui locorum ſelectus inſtituendus ſit, quod perbellè exteri vini mercatores norunt, dum ordinariè quod optimum coëmunt, ad ſuos deportant, noſtratibus incolis Danubienſe relinquentes. Commendantur autem potiſſimum illa quæ in diſtrictu montano, qui à Bada civitate ad Nuſsberg & inde ultra Clauſtro-Neoburgum extenditur, item in altero colle citra Danubium, qui penes Longam-Enzerſtorff ad Biſamberg & multo amplius porrigitur reliqua quæ infra Viennam verſus Hungariam & plurimum loco humiliori creſcunt, minorem pro re nata laudem merentur, rationes ex c. 1. §. 5. 6. &c. deſumes.

CAPUT V.

Proponit uſum & abuſum ſive ſelectum Medicum Vini.

§. I.

IN ſelectu medico notanda eſt ætas, temperamentum, tempus, regio, conſuetudo, doſis, qualitas, & morbi in quibus juvat & nocet. Pueros ante 20. annum à Vini potu arcebat Plato, ſenibus lactis inſtar eſſe paſſim authores pronuntiant; nam in illis fibrarum mollities & acidi quantitas obſtat, in iſtis denſitas, ariditas, ſpirituum defectus reſtaurationem requirunt, aſt quotidiana Praxis concedit vinum dilutius pueris, meracius ſenibus, in adoleſcentibus autem & viris temperamenti indoles, &c. ſpectanda venit, bilioſi, & ſanguinei plus à generoſi vini ſulphure detrimenti capiunt, melancholici acidum quidem accumulant, ſed animi exhilaratione juvantur, phlegmaticos ſolos juvat.

§. II.

Æſtas ardorem vini fortioris in ſubjectis, quibus ventres nimis calent, non ſuffert, nam cibi perturbationem nimio ſpiritu efficit, Duret. *coac. l. 2. c. 20.* hyeme minus ſed meracius bibendum, vere plus ſed dilutius Celſ. *l. 1. c. 3.* quin & jejunô ſtomachô vini præſertim non perfrigidi potio caput petit, nervos ferit, hominem ad tractanda eo tempore ſtudia ineptum reddit, niſi in conſuetudinem inducta ſit, ſed & tunc corpus extenuat, ſuccum gaſtricum diſſipat, diluit, & fibras nimia ſtimulatione ſucceſſu temporis attonas reddit, unde potatores, plerumque minus comedunt, quia famem torexis, id eſt vini

 potio

potio solvit, excipe peregrinantes, aut tempore nubilo domo exituros, imprimis si jentaculum præmittatur: oportunum vini assumendi tempus est cœna & prandium, postquam bubulæ v. g. esus præmissus est; ita enim non tam fortiter in fibras ventriculi agit, nocet noctu, quia somnus sufficienter sitim levat. Hyp. *S. 5. Aph. 27.* Nec exacerbationes acutorum nisi summa prostratio virium & acrisia metuatur. Vinum admittit, agit enim Tulpius *in monitis med. A Vino tenui in tempore dato febricitanti robur & sudor.* Item *notæ ad Cælium Aurelianum referunt* phrenitidem vini largo potu primò in rabiem deinde in somnum tandem in sudorem profusissimum versam & personatam esse. Ast in morborum graviorum declinatione per aliquod dies confirmatô communi Medicorum suffragiô vinum admittitur; hinc *Sydenhaim*, in constitutione anni 1673. 74. & 75. convalescentibus ex febribus diuturnis, longis evacuationibus emaciatis, de nocte incalescentibus, sudantibus, verbô in tabem proclivibus mane & vesperi 4. vel 5. cochlearia vini fortioris quale est malvaticum, moschatelinum &c. cum euphoria propinavit; id ipsum remedium annô 1661. 2. 3. 4. in simili casu cum tussi, screatu glutinoso, quasi phtisim minitante, apud senes expertus est.

§. III.

Nullam quam homines copiosius incolunt regionem Deus suis destituit necessariis, ut potius luxûs causà & alimenta & medicinamenta aliò ad nos deportentur. Austria ventis frigidis continuò exponitur, qui si absunt vulgari proverbio venenata est, æstate verò immixtis sæpe gravibus tempestatibus quandoque de die urit adeò, ùt quamvis procul ob æquatore sita sit, calor tamen ob terram calcariam vix par sit ferendo, ingruente nocte frigida, incolæ etiam partim religionis, partim consuetudinis causà carpionibus, cibísque farinaceis & leguminibus plusquam nonnullæ gentes se infarciunt quorum omnium medicina conveniens nostrum vinum est, fibram roborat, obstructiones præpedit coctionem adjuvat, Paulus enim Apostolus Timotheum qui ex infirmitate ventriculi ægrotabat, disertè monet, ut vinum mediocrem usum sibi habeat commendatum; deinde tartarea sua vi flatus discutit, insensibilem transpirationem auget, aut aliam evacuationem substituit, neque tamen quod caput rei est nimium, ut Hungarica vina solent, excalefacit, ne aliunde in inflamationes pronus populus (raro enim continua hic aliqua febris reperitur cui inflammatio non adjungeretur) majus incurrat periculum.

§. IV.

§. IV.

Nihilominus plures præſertim ex venerando muliebri ſexu reperire eſt, quæ decoris cauſa ab incunabilis vino abſtinere conſueverunt, bene coloratæ vividæ, præſertim ſi temperamenti cholerici fuerint, atque multò melius quam quæ ſtrenuo vini potui indulgent, valent. Et profectò ejusmodi homines habent in receſſu dum indiguerint cordiale ſummum à vino, lætificans cor, omnem lapidem orientalem goanum Bezoardicum &c. exuberans, quod plurimi turpiſſima vivendi conſuetudine perdiderunt, quin eò progreſſi ſunt, ut in morbis etiam, quibus minimè convenit cogatur medicus vini tantillum admittere ſecundùm illud Hyp. *conſueta longiori tempore, quàmquàm deteriora fuerint, præ minus aſuetis feruntur*; & rurſus *dandum aliquid conſuetudini &c.* etenim conſtans eſt obſervantia, ſucceſſivè deſueſcendum eſſe, alias is præſertim, qui ſpirituoſis aſueſcit, his repente poſitis hydropicus evadit.

§. V.

Doſis ex antecedenti §. colligitur, ordinariè ſani aſueti & robuſti in prandio dicere ſoleat, auf einen guten Biſſen gehört ein guter Trunck; item auf ein Mann ein Vogel. Id eſt dimidium menſuræ, contra alii duabus tribus &c. menſuris non ſatiantur, absque tamen læſione manifeſta, tu ita inſtitues ne ſit: *Ante ſitim potus nec cibus ante famem*; & verùm notari velim illud Celſ. *Intemperanter viventes ſi ægrotant aut lethaliter aut diuturnè*; nam ſi quæ intemperantia ſubeſt, durior eſt in potione, quàm in eſca, quamvis Hyp. dicat, *facilius eſt impleri potu quam cibo*, intelligit enim aquâ non vinô, ſiquidem iſtud non modò ſecundum Cælium Aurelionum in furorem ſpaſmum & vigilias incurabiles præcipitat, verùm etiam ebrius, qui ex improviſo obmuteſcit, convulſus intra tres dies moritur, niſi eum febris corripiat, aut quâ horâ ſolet crapula ſolvi ad vocem redeat, aut ſuaves ſomni ſuperveniant, Hyp. *S. 5. Aphor. 5.* & Duret. *coac. 11. l. 2. c. 14.* unde apud Duretum *Coac. 1. l. 2. c. 2.* quæritur an ſaporari ebrioſis malum?

§. VI.

Ingens igitur ebrietas malum eſt, qua demortuis, dum ſecatur granium, invenitur cerebrum multô lacteſcente ſerô perfuſum Bonetus *in ſepulch. anat. Hyp.* ad eam curandam jubet multâ calidâ aquâ lavare, & capiti ſpongiam eâ imbutam applicare, in nares autem cepam cortice detracto immitere, ſi patiens oculos aperiat, & voce recuperatâ ad ſe redeat, neque nugas loquatur, ea quidem die ſopore detentus jacet, poſterâ autem reconvaleſcit, quod ſi vero poſt tempus ali-

quod erectus bilem vomuerit in insaniam agitur, & fere diebus quinque nisi dormiat, moritur; Optimè verò solves crapulam si citam vomituritionem vel diuresim promoveris, *Ramaz.* aut acetum testibus apposueris. *Juncken* suadet internè spiritum salis armoniaci quem vocat den Sauff-Geist / sed huic non multum fidendum; nam metuendum est ne æstus fortior & apoplexia concitetur. Quidam Monhaimii ad Rhenum uni ex crapulâ convulso & summè deliranti venam secuit & brevi curatus est.

§. VII.

In qualitate tot sunt diversæ vini species, quod terrarum indoles in quêis erescit. Vinum recens & percolatum *Ramazinus* magis urinam vult movere, quam vetustum exemplô ab iis desumptô, qui elutriationi musti in cados tempore autumnali adstant, sed hoc in musto nostro rarius ob cruditatem, copiámque fæcum; & dum id fit, halitibus quos evaporat in acceptis referimus: contra vetustum c. 2. §. 4. præsertim montanum ob contrariam rationem exaltatis principiis motum augentibus, incidentibus, & roborantibus diureticum est insignè, & quandóque diutius convivantes sæpius intra horam lotium reddere cogit, der Wein treibt gut/ ideo in chlorosi, hydropisia, obstructionibus, stranguria, oscitatione, horrone, febribus quartanis, quotidianis diuturnis, ictero, morbísque cæteris à viscido, tenaci, elateris debilitate & minori spirituoscentia parantur in vino decocta aut infusa cum radicibus aperitivis amaricantibus martialibus &c. talia prostant *in Dispensatorio Viennensi ut decoct. antict. aperit. majus cum & sine Rhab. aperit. minus &c. & apud Zwölf. vinum Hypocr.* observandum tamen in decoctionibus est, ut in principio species coquantur in aqua, & circa finem solummodò vinum addatur, ne spiritu deperdito roborans ejus vis fatiscat.

§. VIII.

Qui facilè inebriantur, aut ob curas, studia, venerem, morbos saporosos, &c. debilius cerebrum habent, tenuiora uti sunt Polstorfensia aut montana sed à fæcibus abstracta, & aqua diluta bibant, ait enim Cornelius Celsus *lib. 1. c. 4.* vinum dilutum infirmo capiti magis quâm aqua & vinum ex toto convenit, nam illa robur nullum adfert, hoc agitatione nimia aut narcosi nocet, & Lethargicos apud Cælium Aurelianum cum respiratione alta & convulsionibus occidit. Contra si insystemate nervoso vitium non est, sed vires solummodò spectantur,

tur, conceduntur, ſæpe fortiora mera, uti in fatigatis ex longo labore, itinere, tempeſtate pluvia, in anxietatibus, vigiliis & apepſia ſenum, Morbis ex inanitione v g phrenitide cum ſyncope commendat *Aretæus*, in febre acuta cum pulſu debili celeri & ſummò languore in aſuetis & parca doſi *Bœrhovius.*

§. IX.

Neque tritæ quorundam curandi methodo ſubſcribere poſſumus, qui in quacunque febre continua cane pejus & angue vinum fugiunt, cur enim obſecro mixturis ſuis alea fortiſſima volatilia, uti ſunt mixtura ſimplex, ſpiritus fuliginis, liquor C.C. ſuccinat. camph. &c. ægris immiſcent, & vinum quotidiano uſu naturæ homogeneum penitus proſcribunt.

§. X.

Qui ſoluta alvo exercentur, frequenter juvat vinum auſterum & plenius neque id ipſum pervetuſtum, ſalſum, aut dulce Celſus *l.1, c.6.* at Auſtria talibus deſtituitur vinis, omnia enim ex c. 4. *§.* 3. multo ſalſo id eſt tartaro dotantur neque obſtant vina rubra ad *Rötz* creſcentia, quia iſta etiam tenuia, non plena ſunt, & paria fere cum albis habent principia, eſt enim hic loci familia quæ totô annô hôc utitur, neque tamen in eo majorem alvi adſtrictiorem, ſed potius eosdem cum cæteris effectus advertere licuit.

§. XI.

Annô 1726. ad hyemem febres continuæ ardentes peſſimi moris & ſæpe lethales inter vinitores Perthtolſtorfii vicinos & plebem obſervabantur, cauſam unanimiter vinum hornum accuſabant quod ex §. 6. c 1. facile credendum, ſiquidem illi ut plurimum ob pretii parvitatem muſto ſe ingurgitant, unde aliàs etiam nullum apud eosdem magis ordinarium eſt malum quàm hydropes, cachexiæ, febres intermittentes, menſium, hæmorrhoidum, &c. obſtructiones, ſcirhi inveterari, ut meritò Hypc. *de ration. vict. in cut. p.62.* damnet vina dulcia, quia tumores hepatis & lienis augent, ob craſſitiem fermenteſcibilem minimos harum partium meatus non permeabilem.

§. XII.

Non præterire poſſumus peſtem illam communis ſanitatis ænopolis Viennenſibus adeo familiarem, qui muſti recentis pattem tempore Vindemiæ in doliis plenis fortitérque obturatis recondunt, à fermentatione prohibent, & ſuum *ſemper muſtum* (Punt-Wein appellant) conficiunt, cujus dulcedine abſynthitem fucant, & divendunt: quas non turbas motúsque in corpore humano creat? ſi in dolium

vino

vinô plenum modica ejus quantitas instilletur, totum ita liquorem commovet, ut spumet, bulliat vitróque effusus exiliat: anne creditis fluida corporis nostri & solidorum teneritudinem plus resistere posse? egregiè quibusdam in locis edictô sancitum est, ut œnopolæ hoc fucationis modo abstineant, sicut jam olim Wilisius *tract. de ferm.* scriptum reliquit.

§. XIII.

Principalis & summè nociva in Vinis Austriacis præsertim recentioribus est qualitas salino-acido-terrestris, à tartaro crudiori dependens, propter quam calculus, & phtyses incolis endemii sunt, nam & vesiculosa palmonum, substantia à ventorum §. 3. frigore labefactata, rigiditati ejus impar est perferendæ, & quia Diuresim movet, facile tubulis Bellini in renibus quemadmodum putamini ovorum c. 4. §. 5. tartareæ partes primo adhærent, & â tergo novis advenientibus copiis increscunt in calculum: par ratio est morborum qui similem causam in vena partæ &c. agnoscunt, ut colica, ischiatica, podagra, arthritis, passio hypochondriaca, hæmorrhoides, hydropes, sæpe incurabiles cum urinis rubris dolentibúsque conjuctæ; minus igitur suadendum in postremo morbo salia nimia dosi repetere, nam quamvis in casu §. 7. salubre sit in salinis remedium, in hac tamen acuta scorbutica Diathesi cuspidibúsque tunicas vasorum lymphaticorum corrodentibus citius lethalis fit eventus.

§. XIV.

Sunt etiam alii gemini affectus Paralysis nimirum & arthritis, cum suo famulatu podagra, chyragra,&c. qui quamvis ab aliis etiam vinis acidis produci possunt, vix tamen citius quàm à vinis nostris Austriacis in excessu sumptis: spiritus enim eorum narcotica quasi vi nervotum thonum labefactat, rarefaciendo nimis, & spiritibus animalibus dissipatis attoniam inducit, ex quo paralysis oritur, non calidis trivialibúsque curanda medicamentis, sed Venæ sectione moderata, primarum viarum expurgatione, & temperatis absorbentibus porósque reserantibus thonicis: ut in quodam Sacerdote nuper repertum est. Arthritis verò non ex illa solùm causa, sed etiam ex ea (quam §. 13. assignavimus) qualitate pullulat, & in hoc calidorum remediorum usus quorum §. 8. c. 3. n. 6. non adhibendus.

§. XV.

Memorabilis est cura vini quam *Frid. Hoffmannus* iisdem fere regulis queis acidulæ sumi solent, primus quantum scimus in Medicinam inve-

invexit; aſt non equè Auſtriacis vel vinô Auſtriacô ac *Author* ſuis popularibus ſuadet conferre exiſtimo, illi ſabajarii ſunt noſtrates vinipotæ aliunde ſponte ſua nimio vini amore feruntur, atque inde perſæpe ægrotant, ſanguis plerúmque copia & tartareo acore magis quam inopia laborat, accedit quod alia ratio acidularum ſit alia vini illæ non inebriant ſecus vinum, quod ad minimum ad duas menſuras per diem *author* commendat, neque ſtomachus jejunus niſi forte in ruſticis & aſuetis vini potentiam ſuffert.

§. XVI.

Explanata Vini natura & virtute, ea quæ ad vinum pertinent breviter delibabimus, vinacea dum ſponte incaleſcunt ægregium ad ædemata, dolores arthriticos, partes paralyticas & contracturas ob ſalſulphureo-volat. per fermentationem putrefactivam extricatum exhibent effectum, *ſecundo* fæces vini præter easdem vires experimento ruſticorum, laxant, aut ſaltem clyſteribus ad flatus diſcutendos, inteſtina inparalyſi robaranda, &c. merito adhiberi poſſunt. Tartarus crudus in colicis doloribus diuturnis, hyſterica podagra & obſtructionibus primarum viarum à pituita ortis ad Unc. j. datus per duos vel tres menſes, optato cum ſucceſſu purgat, ut refert Bœrhav. *Inſtit. Chym. tom. 2. pag. 1741. ex Angelo Sala.*

§. XVII.

Acetum vel potius ſpiritus ejus ſanguini inſtillatus, melius ſolvit quam ⦶ & ⊖ marinum Borhav. *pag 261.* ideo *internè* in febribus ardentibus à lentore, mixtura ſimplex, acetum bezoarticum in aſthmate oximel ſquilliticum, *externè* in ſphacelo imminente decoct. nigr. Chyr. in ſugillationibus & tumoribus mammarum acetum ipſum cum ſem. cumini &c. coctum: item in Pharmacopej. ad ſolvanda ſemi gummata v.g. gum. am̃oniaci ſagap. uſurpatur; nec obſtat quòd lac coagulet, nam alia ratio eſt partium butyroſarum utpote flexibilium non reſiſtentium, & obvolvendo aceti cuſpides, ſe unà præcipitantium, alia eſt lentoris aut ſanguinis fortius compacti magis reſiſtentis, & ictus ſingulos ab aceto recipientis, quemadmodum enim novacula ægrius diſcindit pilum in aëre una ſui extranitate liberè perdulum facilius utroque extremo tenſum, ita acetum hic ſolvit ſecus ibi.

§. XXIII.

Deinde Spiritus Vini in Chymia ad reſinarum extractiones Tincturas ex balſamicis aromatis, ſalinísque extrahendas, ſpiritus acidos dulcificandos & corpora à corruptione præſervanda celebris eſt, ſed

D etiam

etiam in Medicina internè vomitum ab Antimoniatis ſiſtit, fibras potenter ſtimulat, lypathimias cum herbis aromaticis ſublevat, & ſi in majori doſi adhibeatur, hæmophtyſim & ebrietatem cauſat. Externè alkohol vitellum ovi, humorem oculorum cryſtallinum, lympham & ſanguinem coagulat, in hæmorrhagiis graviorum vulnerum ſiſtendis ſingulare eſt remedium, ulcera mundificat cum camphora eryſipellatem incipientem in temperamentis humidis ſeroſis ſenibus tempore pluvio perſanat, ſecus dum ad congrænam cum ſummo dolore tendit, acetum lythargiriatum, & cætera temperata meliorem edunt effectum, cum 8. partibus aquæ fontanæ frigidæ viſum debilem ſenum & Phlegmaticorum acuit, tandem balneatores ſudorem in cella lignea, in den Schwitz-Kaſten/ accenſo ſpiritu vini ad rheumatiſmum & luem veneream curandam excitant, ſed cave ne, ſi, aut nimis diu, aut in temperamentis calidioribus hanc methodum tentaveris, majus inde malum contractura nimirum totalis ſubſequatur, cujus exemplum de moniali Wormatienſis conſtat.

FINIS.



DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICO-PHYSICO-MORALIS

DE

USU ET ABUSU NUTRICUM VIENNENSIUM,

QUAM

D. T. O. M. A.

DECRETO, AUTHORITATE, ET CONSENSU PERILLUSTRIUM, MAGNIFICORUM, SPECTABILIUM, PRÆNOBILIUM, EXCELLENTISSIMORUM, atque CLARISSIMORUM VIRORUM &c. Perillustris, Magnifici, ac Consultissimi Domini Universitatis Rectoris, Prænobilis, Spectabilis ac Excellentissimi Inclytæ Facultatis Medicæ Domini Decani, Venerabilis Domini Senioris, Sac. Cæsar. Regiæque Cathol. Majest. Dominorum Dominorum Consiliariorum, & Archiatrorum, Professorum &c. adeóque totius amplissimi

D. D. MEDICORUM COLLEGII

IN CELEBERRIMA, AC ANTIQUISSIMA UNIVERSITATE VIENNENSI PRO CONSEQUENDO DOCTORATUS GRADU

Publicæ Disquisitioni exponit

LAURENTIUS HENTSCHEL,

Silesius Schwidnicensis AA. LL. & Philosophiæ Magister, Saluberrimæ Medicinæ Baccalaureus formatus, nec non pro Supremâ Laureâ Candidatus,

IN PUBLICO D. D. MEDICORUM COLLEGIO

Horis post meridiem consuetis, Die 17. Mensis Julij Annô MDCCXXXII.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Gregorii Kurtzböck, Universitatis Typogr.

DEO,

DIVIS
COSMÆ, DAMIANO,
ET
JOANNI NEPOMUCENO,
PUBLICO,
PATRIÆ,
ET
PATRONIS.



CAPUT PRIMUM.

De Usu Nutricum Viennensium.

THESIS I.

FRuctifero imbre irroratum, spiritúque elastico expansivo seminis virilis afflatum, stamina tenerrima, visum omnem, etiam microscopio armatum, fugientia, mente tantùm concipienda, totius hominis structuram continentia, in motum tunc adacta, complectens ovulum, è loculamento suo sic abreptum, ornamentô fimbriaceô tubarum Fallopii exceptum, atque motu sistaltico propriô tubarum in ipsum uterum devolutum, firmat se, quocúnque locô potest, fibris suis laceris, perviisque in lacunas arteriosas, & lymphaticas, inde altiles succos accepturum, quò inceptus expansivus staminum motus, deficiente ♒ vivificante, continuari, & fœtus humanus produci possit; quô factô, atque organis jam perfectioribus formatis, minùs per funiculum umbilicalem, plùs per os, si non totum, capit nutrimentum, & incrementum, donec firmis ità factis partibus, ùt atmosphæræ prementis injuriæ sufferendæ requirunt, stimulante fortè fame, sitique, irritante excrementorum acredine, urgente sanguinis elastici copiâ, & expansione, tandem exitum quærit, quò aër atmosphæricus gravior resistat interno magis se expandenti, cordis oppressionem tollens, quò excrementa purgentur, fames, sitisque sedentur;

 hinc

hinc vi, qua poteſt, tabernaculi ſui parietes diſfringit, ad lubricandum iter fluenta effundit, & pedunculos oſſibus pelvis materni imponendo, canatu omni conquiſito, adjuvante niſu Nixiæ, adjuvante ſpasmo uteri, in lucem, lachrymarum vallem, prodit, tenebricoſo, ſordidóque ergaſtulo per tot menſes incluſus, vel qui ſceptra geret, vel ovibus paſcendis præerit, & ſic ex uno loco, una via, unius originis, diverſæ tamen futuræ infans fortunæ.

THESIS II.

ITà editus infans, ab obſtetrice exceptus, ligato, & abſciſſo funiculo umbilicali, abſterſisbalneô, ex ▽dulci vinóque parato (nequaquàm oleô additô ùt quarundam obſtetricum mos eſt) ſordibus, linteisque calidis involutus, vix meconiô repurgatô, vix nixiæ à partûs laboribus defatigatiſſimæ, viribus non nihil reſtitutis, preſſionem atmosphæræ, & ſic circulum ſanguinis per pulmones incipientem, & foraminis ovalis atque tubi arterioſi officium ceſſans, expertus, alimento ſe omni deſtitutum videns, id tamen uberiùs, quàm in utero poſtulantibus celeriùs, atmosphæræ preſſione, facto humorum circulo, copiâ ſuccorum deficiente ad implenda vaſa pulmoniaca, inſuetô modô recens inflata, & expanſa, viribus debilitatis ex prægreſſis erumpendi conatibus, ſtomachô vacuô latrante, ejulando lachrymandóque primum noſtrum canit miſerere, nutrimentum poſcens, quò vivat, & creſcat, vel Deo charus, vel exoſus, ſeu in decus, ſeu dedecus, parentibus, familiæ, reipublicæ.

THESIS III.

PRovidæ, ac benigniſſimæ Matri Naturæ (ſano ſenſu intellectô hoc vocabulô) debemus, quòd tenelli infantis nutricatui; providens, ſexui ſequiori præſertim turgentiores, atque appropinquante partu, & poſt partum lactandi tempore turgentiſſimas conceſſerit mammas, digitô commonens non obliviſcendæ gratitudinis tanti naturæ beneficij, & matri incumbentis officij, ſuam erga prolem; Sunt verò mammæ duo corpora rotunda, lactis promptuaria, utrinque in thorace, inſtar gratorum monticulorum eminentia, ſubſtantia cavernoſa, & glanduloſa (per quam nervi, arteriæ, & hinc ortæ venæ, vaſa lymphatica, capſulæ pingviferæ, & tubuli lactei diſſeminati) prædita, integumentis corporis communibus, cuticula, & cute obvoluta, diversâ magnitudine, colore, conſiſtentiâ, & di-

ſtantiâ

ſtantiâ in diverſis ſubjectis diſcrepantia ; in medio exigua eminentia cylindrica, arcolâ ſepta pulchrè rubellâ in virginibus, abſurdè coloratâ in vetulis, ex nervulorum, ſanguiferorum vaſorum, lacteorúmque tubulorum concurſu, enata, valde ſenſilis, ad irritationem, & contrectationem rigeſcens, papilla dicta, exſurgit; ex qua lac pro infantis nutritione exſugitur, quod in apicibus ſecretum arterioſis, in lacteis aſſervatum tubulis, donec vel æquilibrio ſublato à prole ſugente inter externum, & internum aërem propriâ, vel externè à matre factâ preſſione, foras in prolis nutricatum proſilit.

THESIS IV.

HUjus, tenellis nutricatum præbentis ſucci ſic deſcripto ſeparationis organo, res poſtulat, ut ſeparandi modus etiam adſtruatur ; non autem hic ſingulare fermentum quærendum, quod diu jam ad piſtores relegatum ; nec configuratio pororum certa, & proportio particularum ; quæ Carteſiana magìs ſubtilia, quàm utilia ſunt ; nec naturæ, vulgari ſenſu intellectæ, providentia ad lactandam prolem ordinata author dicenda eſt ; nam hæc ſententia à logomachis Stahlianis nec dum benè explanata, nec unquam phyſico fundamentô ſatis explananda; ſed tota res mechanices naturæ neceſſariis ſubjacet regulis ; Nam quando ex irritato utero, tum in coitu, geſtatione, & partu, per neceſſarium conſenſum (qui *in Ruyſch. Thes. anat.* videndus) mammæ irritantur, affluxus uberior fiat, neceſſe eſt ; præſertim dum ab expanſo utero comprimente vaſa ad inferiores fluenta partes vehentia, & ſic remoram ponente, à menſibus toto geſtationis tempore utplurimùm deficientibus, vitâ otioſâ, & opiparâ magìs, ſolitô, certè ſucci magìs accumulari, atque in ſuperioribus partibus non reſiſtentibus, ùt inferiores, uberiùs, præſertim in mammarum ex conſenſu uteri irritatarum, atque ſic affluxum invitantium, ſpongioſa, minimè reſiſtente ſubſtantia colligi debent ; unde ſe inſinuant in tomentoſas mammariarum arteriarum extremitates, lac transmittunt, ab initio ſeroſiùs ob anguſtiam, dein craſſius ob majorem apertionem earundum, lacteis tubulis communicant, qui ſubtiliſſimi, ex apicibus, mammarum arterioſis radicibus egrediuntur in majores ramos, tanquam in truncos, multis anaſtomoſibus concurrentes, per glanduloſam areolæ expanſionem inæquali diſtribuuntur diametro, & ſic ad ciſternularum ſimilitudinem lac ſecretum recipientes, colligentes, atque ad lactationis horam aſſervantes, accedente preſſione id præbent proli nutriendæ ;

Negotium hoc ſic ſe habere patet *ex anat.* præſertim *Ruyſch. & Vienſſ. Neurolog. ex carpo Comment.* 2. *in A. M. p.* 316. ubi dicit. *commoto utero, moventur mammæ, & contrà*; hinc tanta ad ♀rem vehementia ex irritatis mammis; ſic mammæ turgere, & ſororiari incipiunt, incipientibus menſibus; & quæ plura ſunt hunc conſenſum denotantia; Turgere autem vaſa magìs ex irritato utero, conſuetudo docet veteribus familiaris, qui patet *ex Catullo in nuptiis Thetidis, & Pelei*, ubi ſcripſit.

Non illam Nutrix oriente luce reviſens
Heſterno collum poterit circumdare filo.

Solebat ſcilicet nutrix neo - nuptæ ante thori ingreſſum filo collum metiri, quod ſi oriente ſole ad remetiendum non ſufficeret, lætabunda exclamabat: ex virgine à viro mulierem factam fuiſſe; quod laudabile à veteribus inſtitutum hodie apud plures vix locum haberet: nam *ab aſſvetis non fit paſſio*; Accedit *Ramaz. fol.* 553. ità ſcribens: *Profectò ſi res bene penſitetur, lactis primordia geneſin ſuam utero debere, fateri neceſſum eſt; utero enim exultante, & commoto, univerſa corporis ſyſtaſis commovetur, & vaſa ampliora fiunt*; Sic quotidie mamillas canum versùs uterum longè turgentiores videmus, quàm cæteras, non aliunde, quàm ex irritatis, illinc ſitis, cornubus uteri canini, irritantibus proximas magìs mammillas, & ſic affluxum ſuccorum uberiorem concitando; Copiam præctereà humorum probant ſæpe neceſſariæ, repetitæ etiam V. S. in gravidis; in partibus ſuperioribus congeſtiones affirmant ſympt. ventriculi, diaphragmatis, pectoris, mammarum, & capitis; quorum ulteriorem explanationem brevitatis causâ tranſeo.

THESIS V.

SIc lac jam ſeparatum paulisper examinemus; quidam chylum immutatum dicunt, atque per vaſa certa ex ductu thoracico in mammas eum derivari aſſerunt, aſt vaſa hæc nec dum demonſtrata; Nam lymphatica, quæ illinc adſunt, à mammis quidem in ductum thoracicum lympham ſuperfluam revehunt, verùm miminè ex hoc in mammas chylum; ſic chylus ſanguini mixtus immutatus deferri nequit ad mammas úſque; nam non poteſt illuc devenire, niſi dextri ventriculi cordis concuſſum, pulmonum attenuationem, & ſiniſtri ventriculi tritum, pulſúmque ſubiverit, aſt hiſce viis chylum nullam pati mutationem quis ſomniabit? unde ſtante mutatione chyli, ſtabit & magìs mutatio nominis; itaque dicimus: Lac eſſe ſerum, *quod Hip. alimenti vehiculum nominat.* multis intertextis molle-

culis

culis oleosis, fibrosis, gelatinosis, atque diversorum salium sphærulis, & diversa terræ copiâ constans; Licet contrarij sint *Prosp. Mart. Comment. in Hip. p. 32. charlet. Oecon. aâl. Exert. 3. Deusing. de lacte* §. 10. *& 21. Guiffrat. Exert. de prox. lac. mat. Swalb. de ventr. querl. & opprobr. p. m.* 101, *Warth. Adenograph. Cap.* 36. *Schenck. dissert. de nat. lact. art.* 3. §. 25. & alii plures asserentes: quod impossibile sit ex sanguine lac confici posse; sed contrà: quis potest succum nerveum, liquorem genitalem &c. ex purpurea humorum massa, vel coctione, digestione, destillatione, fermentatione, vel alia ratione parare? certè nullus; insunt tamen sanguini dictorum succorum principia; patet præthereà, chylum immutatum lac non constituere, ex fœminis quibusdam, quæ per aliquot dies non commedentes, lac habuerunt; contrà hæmorrhagiam ad virium resolutionem passæ, licèt multa nutrientia assumpserint, nec tantillum quidem lactis elicere potuêre; nam sanguis primò debuit in quantitate restitui, ut pressio versûs mammas, in peripheria corporis positas, fieri possit. Lac autem serum esse oleoso gelatinoso salino terreis partibus constans, probant experimenta *à Fr. Hoffm.* cum lacte humano, asinino, caprino, vaccino, ovillo, instituta, quæ videnda sunt *Dissert. de usu lactis asinini; & usu seri lact.* ubi præparatio seri lactis dulc. hæc egregiè comprobat; prouti etiam exp. *Verheyn supplem. anat. fol.* 55; Qui autem vires petit, eas divinas in *Wepfer. epist. ad Verzasch.* & innumeras vix non *apud cit. Hoffm. Gal. Cels. Cael. Aurel. Martian. Riedlin. forest. Tulp. Bagl. Fracast. Horst. Morton. Maybom. & practicos observatores* inveniet; hic recensendas non nostri fori, cùm tantùm de ejus nutriente virtute nobis res sit.

THESIS VI.

Hujus itáque lactis usus alius non est, quàm ut corpus humanum nutriat, non tantùm tenellum, sed qualecúnque, etiam robustissimùm; Est autem nutritio, repletionis genus, nam nutriri partes, eas est implere, quæ vel augeri, vel restitui petunt, id autem utrúmque fluido serosô, oleosô, gelatinosô, debitò modo priùs præparatô fieri debere, nemo jam negat; unde patet, solidorum vim nequaquàm excludi, nam horum operâ divisi, secti, paratique altiles succi digeruntur, aptantur, apponunturque; solidorum ergo virtutis mensura, nutricis virtutis mensura est, par in tantùm digerendis nutrientibus succis, in quantùm terendis illis, comminuendìsque sufficit solidorum energia; Et profectò non priùs nutrit ovi albumen, quàm

quàm vi incubatûs ex ſpiſſitudine ſui humoris tranſivit innumeros fluiditatis gradus; ſed & tum adhuc datus embryoni ille liquor, eſt craſſiſſimus, unde in longè ſubtiliores adhuc in viſceribus, & vaſis, transmutandus eſt, priusquàm in nutrimentum abeat; patet itáque ſolida debere præparare fluida, ad nutritionem apta, ex his verò quiete compactis, vel ſolida generari, augeri, vel ſaltem reſtitui; quod eleganter in ovis *Malphig,* in embryonibus, & fœtibus *Ruyſch* detexit; Cùm itaque nati infantis partes omnes teneræ valde, molles, flexiléſque ſint, nutritios ſuccos uberiores quærat, neceſſe eſt, quò partes ſolidiores factæ, vires potentiasque adeptæ, iis, quibus deſtinatæ ſunt, fungi poſſint, officiis; atque ſic imbellis puſio rationis uſu, ob organa imperfectiora, & primò perficienda, deſtitutus, ejulando, lachrymandóque miſericordiam in matre excitat, ubera turgida ad famem ſitímque ſedandam, rogat, ut porrigat.

THESIS VII.

NUtrix itáque eſt illa mater, quæ infanti ubera ſugenda præbet, ſit vel genitrix ipſa, vel conducta alia, mercenaria, ad hoc, ut infans nutriatur, augeatur, vires, unà cum perfectione partium acquirat; Hoc autem ut fiat, ex parte infantis requiritur vis ſugendo lacti ſufficiens, ventriculi robur digerendo valens; ex parte nutricis, ut ſuppeditet lac proportionatum quoad quantitatem, & qualitatem; quod utrúmque præſto erit, ſi genitrix ipſa, cæteroquin ſana, & lacte donata, ſuum genitum aluerit; utrúmque verò deerit, ſi nutrix aliena ſubſtituta fuerit; Nam matris ſucco nutritio in utero aſuetus infans, hunc modô faciliùs digeret, & nullâ moleſtiâ exinde afficietur, præſertim cùm ab initio ſeroſius lac, coloſtrum dictum, idem ferè ſit, quod fuit in utero nutrimentum, quod datum, minùs gravat, aceſcit, ſed facilè tranſit, meconium abſtergit, atque craſſiori lacti, tertio vel quarto die ſupervenienti viam præparat; ubi contrà lac Nutricis alienæ alienum etiam eſt, & inſuetum, craſſiúsve ùt plurimùm quàm digeri poteſt, hinc non ſinè noxa.

THESIS VIII.

UT itáque aliquomodo conſulamus tenellorum vitæ, & ſanitati, ſic quæ circa nutricem, quæ in uſum trahitur, obſervanda ſunt, trademus; Nutrix itáque ſit adoleſcens, ætatis 25. ad 35. ann. Licèt alii tantùm ad 30, alii etiam ad 40. annos ætatem hanc extendant,

tendant, bis mater facta; pectus habeat latum, mammas nec nimis laxas, & rugosas, nec valde tensas, sed solidas, & firmas, mediam magnitudinem, & duritiem obtinentes, quibus lac plurimum sit; nec multùm graciles, vel breves sint papillæ, sed mediocres, cum magnæ os offendant, parvæ verò prehendi non possint; meatus earum non sint nimis aperti, nè nimiùm lactis uno impetu perfundatur, nec nimis stricti, nè expressio feriat palatum tenelli, & eum lædat; Prætereà sit vividi coloris, qualem consuluit *Gal. Lib. art. med. Cap.* 51, fortis, ac robusti colli, pectorosa, musculosa, duræ, ac multæ carnis, non obesa, vel gracilis, à menstrua purgatione sit immunis toto lactationis tempore; nullis sit affecta morbis, néque alicui peculiari obnoxia; quæ gestavit fœtum novem mensibûs, enixa est ad summum ante duos menses, (melius tamen fortè si eadem die enixa, posset haberi nutrix; sive masculum, sive fœmellam genuerit, parùm referente) dein non sit primipara; optima talis est, quæ brachia consueta est exercere; unde rustica sæpe optima, dummodo septimana unâ, vel alterâ, purgatis priùs crassis succis, usa est cibis urbanis; si quæ tamen mater prolem suam rusticellis in proprias casas tradere voluerit, non aberrabit; nam & hoc laudabili more faciunt nobiles Patavini referente *Ramaz. fol.* 553, qui salacitatem, & petulantiam benè pastarum nutricum tollerare non valentes, nec ut liberos suos infirmiores rusticórum liberis videant, rusticellis cum suis educandos tradunt; Dein Nutrix animosa sit, & quæ cum integro affectu puerum amare potest, iræ non sit dedita, sit grata, hilaris cum gravitate, munda, & elegans tum in se, tùm in suum Alumnum; nec in venerem prona, laudabilium morum, nec nimis obtusi, nec nimis teneri sensûs; non sit salax, potatrix, tristis, melancholica, nec lusca, sed quantùm fieri potest, matris, cujus prolem nutrit, tum animi, tum corporis dispositioni simillima, pia, casta, virtuosa; Nam teste *Peck. fol.* 108. *obs.* 46, *Junceis junceæ habitioribus, habitiores jungendæ sunt, si cætera respondent.* de electione nutr. adhuc videri possunt *Mercat, T.* 4 *fol.* 747. *Musit. de morb. mulier. fol.* 204. *Löw de morb. inf. Sennert. Tract. de inf. curat. part.* 1. *Cap.* 1. *Roder. à Cast. lib.* 4. *de nat. mul. cap.* 12. *Thiermayr. lib.* 1. *cons. med. cap.* 2. *in Schol. Sorbaith fol.* 331. *Tr.* 4. *de morb. puer.*

THESIS IX.

Visis requisitis nutricis eligendæ, ejus lac examinandum venit, cujus quantitas & qualitas lustranda; Quare quantitas sit pro-

portionata, magis tamen aucta, quàm imminuta; qualitas autem desumitur à colore, odore, sapore, & consistentia; Licèt *Ettm.* videatur contrarius, dum *de morbis inf. oper. suor. edit. Francof. fol.* 1062. dicit. *quòd hoc examen fallat, cùm semina pessima, tum morum, tum morborum, sub tali lacte delitescere possint; sed rectiùs, ùt asserit Helm; de sextupl. digest.* §. 74. *æstimanda est lactis conditio, ex sanitate nutricis, vita, & cibis;* ast ut pace tanti viri dicam, nos nequaquàm & in his scrutandis sumus negligentes; quare examen nostrum non erit fallax: Itáque lac sit purum, odorum, non tamen penetrantiùs, candidum mediocriter, quod *à Gal. Moschion. Avicen. de sanit. tuend. lib.* I. *cap.* 9. ùt optimum laudatur; non tamen perspicuum sit, néque sublividum, licet *Aristot:* 3. *de hist. aal. cap.* 21. dicat *lac lividum albo esse præstantius;* néque gypso simile, nec subacidum, nec amarum, sed dulce, æquabile, quasi leniter saccharatum; non admodùm crassum, & caseosum, néque tenue, & serosum cujus super speculum rectè proba instituitur; si néque prorsus fluit, nec eô reclinatô constat, vel si capillus intingatur, & lac huic æqualiter adhœret; Item si in vasculo pars aliqua lactis reponatur, adjectis +ti, v. succ. limon. aliquot guttis, & dein facto coagulo seri tantùm, quantùm caseosæ substantiæ suppeditatur; vulgaris proba est, si in ungue hœreat, nec totum defluat; Cremorem dein ubi aliquo tempore steterit, in superficie separet pinguem; unde quod lac enumeratas qualitates habebit, bonum, & laudabile erit; ast consideranda teneritas alumni, cui si proportionatum accuratè non haberi potest, detur pinguiuis, sed in minori quantitate: Minùs verò probatur lac, quod tenue, ▽sum, valde, si prætereà saporis nauseosi, cærulescentis, aut alius, præter lacteum, coloris; si statim in aliquo vasculo repositum dissolvetur, acescat, & grumescat, unde talis nutrix unacum lacte rejicienda.

THESIS X.

QUantùm enim morbosa corporis, vel mentis constitutio nutricis tenello alumno noceat, apud solertes observatores videre est; sic primam morborum infantilium causam adstruit *Fr. Hoffm. dissert. Prax. clin. morb. infant. fol.* 5. *violentos nutricis affectus, præsertim iram, & terrorem,* ex quibus epilepsia infantibus ut plurimùm lethalis morbus, in promptu est; præsertim si, durante tali affectu, ubera venenata proli sugenda præbentur; ùt ipse novi 2. elegantes fœmellas intra aliquot horas ità occisas; *Miserrima inde nutricularum conditio, pueris áque, ac illis ominosa: Pecklini* verba sunt: *obs,* 46. *fol.* 110. *quòd ubi ægrotare*

tare alteruter incipit, tristitia statim nutriculam invadit, & qui amor servare fœminam debebat is ipse commiseratione pusionis, aut metu evanescentis aliturae, in tristem animi versus affectum, ablactandum tum infantem perdit; Sic puella admodum fuit observata siticulosa; ex nutrice bibula *à Deodat. Valetud. p.* 26; brutales proprietates, & mores cum lacte in infantem translati sunt, ùt in pueris cervæ & capræ lacte nutritis observavit *Reyes Camp. Elys. q.* 41. *p.* 586; Lipsiæ infans ob defectum nutricis, lacte caprino nutritus, imitari eleganter potuit vocem capræ; ità refert, *sup. cit. loc. Ettm.* 1066. & non mirum hoc est, nam juxta *Gal. mores sequuntur temperamentum corporis, hoc verò nutrimentum*; scorbutum & luem ♀ream per lac communicata, à lusca, luscum, ab insana, insanum, alumnum fuisse factum nutrice, *Card. asserit de rer. subtil. lib.* 11. *fol.* 639, atque plures hujus loci matres testabuntur; sic tormina à matre per lac in infantem translata scribit *Helwig. obs. phys. med. fol.* 371; de lue gallica & scabie translata prostat *obs. apud. River. Cent.* 2. *obs. med.* 95. item apud *Welsch. in Episag. suar. obs.* 90. Palatum penè omnem, ex lacte nutricis infectæ, absumptum fuisse cuidam infanti, annotat; *Car. Rayger. annot. in Jac. Roland. aglossost. Cap.* 7, & hæc omnia mira videri non poterunt, dum omni die ex catharcticis à nutrice assumptis, etiam purgari alumnum videmus; quod & *Hip.* jam notum fuisse testatur *Lib.* 6. *epid. sect.* 5, ubi cucumer. sylv. & elater. assumptum pueris in purgationem quóque cedere scribit.

THESIS XI.

Recensitis iis morbosis affectionibus quæ â morbosa nutrice communicantur; & quæ lac improportionatum causare potest mala, videndum nunc est. Dictum fuit suprà proportionem quantùm possibile est observandam esse, ut lac detur, quale digeri potest; cum autem in recens nato infante omnia tenerrima sint, atque ejus ventriculus tenui valdè assuetus fuit nutrimento, sic statim patet, lac crassum, & pingue, mox ab initio datum, valdè nocere; nam oneratur stomachus, & varia excrementa coacervantur, cruditati acidæ fit occasio, unde infinita vix non mala scaturiunt; illustrat hæc exemplum epilepsiæ lethalis aliquot filiabus ex butyrositate, & nimia pinguedine lactis, quod prostat *apud Hoffm. Tr. de Usu & Abusu med. chym. p.* 49. *item Vesling. in epist. & obs.* 28. *p.* 123. *& spigel. de form. fœtûs cap.* 13. *p.* 16; Quare & *Fr. Hoffm. sup. cit. loc.* Lac copiosum, crassum, caseosum, impurum, morborum infantilium secundam causam adstruit; & id quidem non abs re agit; nam tenerrima, &

& ſenſibiliſſima generis nervoſi, & membranoſi infantum ſtructura eſt, & textura; hinc omnia exceſſivis qualitatibus prædita, his valde noxia; hinc eſt, quòd infantes ſpongioſiores & corpulentiores, lacte copioſo, & craſſo nutriti, morbis convulſivis facilè corripiantur; quod teſtatur *cit. loc. Hoff. fol.* 6; ſic ex nimia lactatione ſæpe non nutritur, ſed mactatur infans; ùt ſcribit *Kerkring. in ſpecileus anat. obſ.* 40; Lac tenue, ſeroſum, nimis, & ſalſum infantes ad defluxiones catarrhales diſponit, ſic obſervante *Ettm. ſup. cit. fol.* 1066. Lac caſeoſum adſtrictam alvum, inappetentiam, vomitiones; aquoſum, tormina, & flatus; flaveſcens, fluxum ventris, & puſtulas erodentes; ſalſum autem, ſcabiem, achores, favos, & pruritum cauſare *Muſit. de morb. mulier. fol.* 205. & alii aſſerunt; Ex copia lactis diutiùs in ſtomacho retenti, & bilis acrioris affluxu corroſivi redditi, graviſſima mala cauſantur, ſcilicet, dejectiones virides, tormina, Cardialgiæ, anxietates, convulſiones; & ſi à viſcido lacte tenera lacteorum oſcula obſtruuntur, abdominis intumeſcentiæ, atrophiæ, & alia mala producuntur; ùt pluribus refert *Fr. Hoffm. T. 7. fol.* 358; Sic non raræ ſunt ex aceſcente lacte tum colli, tum meſenterii ſcrophulæ; ex acri ſulphureo, febres aphthæ; ſic pavores in ſomno, incubus, vigiliæ; Et ut *Card. Comment. in aph.* 24. *Hip. ſect.* 3. oris ulcera ab acredine lactis deducit, ſic mala plura adhuc ex vitioſa propullulant lacte.

THESIS XII.

SEd non ſatis eſt bonam, & morigeram nutricem tradidiſſe eligendam, atque lac optimum ſuaſiſſe ſeligendum, & in utróque ſcripſiſſe cavenda; verùm oportet etiam, ut nutrix bona, lac bonum, bona conſerventur; quod, ùt opinor, obtinebitur, ſi nutrix ſequentes diætæ regulas obſervaverit. Notum eſt, vitium nutricis in diæta commiſſum, ſæpe graviter luere imò morte expiare innocuos infantes; unde vitet nutrix fructus horæos, acetaria, facilè aceſcentia, auſtera, nocivum caracterem lacti imprimentia, ſcilicet: coagulationem acorem ſpirantem; unde infantibus tormina, convulſiones, epilepſiæ, ardores, inſultus febriles, aphthæ, achores, favi, tinea, abdominis inflationes, & plura alia naſcuntur; vitet uſum vini, Sp: vin: nimium carnium eſum, frigus veſpertinum improvidè ad miſſum, nam error in his facilè fomitem epilepticum generat; teſte *Hoff. ſup. cit. lac.* Caſeus interdicatur, quia inde lac craſſum & viſidum evadit; unde obſtructiones, primarum viarum, vaſorum lacteorum

ctorum nec non generatio calculi veſicæ ; cui obnoxiam dicit pueritiam *Sect.* 3, *aph.* 24, atque totam generationis calculi in pueris ex craſſo lacte tradit hiſtoriam *Lib.* 4. *de morb. Hip.* Nec nimis voraces ſint etiam in cibis optimis, inde enim, cùm nutrices ùt plurimùm altô otiô ſtertant, & minùs exerceantur, qui peſſimus mos eſt, lac impurum fit ; idem intelligendum, de acribus, & ſpirituoſis ; exinde enim varia lactis liquamina cadaveroſa, unde excrementa flava, fœtida, fœculenta, inſtar fæcum cereviſiæ, nunc ex nigro putrida, aut alio modô corrupta, per diarrhæam infantum rejiciuntur; quin & vomitus, atrophiæ, vel ſaltem varii cutanei affectus enaſcuntur ; Si menſes fluerent, vitet hoc tempore lactationem ; Cæterùm nec exponat corpus, præſertim mammas, alterationi caloris, & frigoris ; frigus enim, ſi lac non coagulat, ſaltem id diſponit ad coagulum ; Cereviſia hic loci ùt plurimùm malè defœcata, non detur in potum ; nam facilè infantibus diarrhæa torminoſa cauſatur ; nec ſtyptica aſſumat ; nam ex caſtaneis, majori copia à nutrice comeſtis, infantis alvum pertinaciter clauſam fuiſſe fert *Timæus à Guldenkl: in caſ. lib.* 5. *caſ.* 15. *p.* 252 Dein nutrix ſe omni die exerceat, præſertim partes ſuperiores, & ſic lac uberiùs generabit ; contrà enim abſque motu corporis inſtar ſtagnantium paludum fracceſcet, & putredinem lac concipiet ; ordinem optimum in ſumendo cibo, potúque, inſtituendo motu corporis, & ſomno ſervet ; ſufficit bis nutrire, ut famem cibus, & ſitim potus expleat ; non verò quater, uti mos eſt ; ſomnus pomeridianus vitandus, ni longo tempore ei aſueta fuerit ; non veniant in uſum vaporoſa, Cepæ, allia, caſeus putridus, & vetuſtus, braſſia doliis condita, caro ſuilla, fumo indurata, ſalita, bellariáque omnia vitet, quæ ſalacitatem ſtimulant ; Caveat etiam ſibi nutrix ab omni graviori animi pathemate, præſertim ira, & triſtitia ; inde enim omni die triſtiſſimas parentibus prolium ſuarum mortes ſequi videmus ; quare vitet altercationes cum ancillis, & domeſticis, nè ad iram concitetur ; Alatur itáque nutrix cibis euchymis, & eupeptis, bis de die ; ab initio lactationis paucioribus, ſucceſſivè copioſioribus ; vinum quidem nè guſtet in principio, ſed ſucceſſivè dein, aquâ dilutum & bonum bibat : pro potu ordinario ſerviat ſeq. decoct. quod etiam poteſt locò aquæ cum vino miſceri

Rec. Rad. Sorz. unc. iv chin. unc j Sarſap. unc ij Liquirit. unc j hord. mund. m. iij. raſ. corn. cerv. ebor. aâ Drach. vj ſem. fœnic. Drach. iij ; Inciſ. dentur ad chart. & unc. j inſerviat pro menſ. j ▽ font. coquenda. Manè verò ſeq. infuſ. inſtar the uſurpetur.

Rec. Rad. Scorz. ſubtiliſſ. inciſ. unc unam ſem. liquirit. raſ. unc. ſem. Hb. veron. agrimon. beton. ſalv. àa m. j. ſem. Badian. Drach. iij. Inciſ. m. dentur ſpeès pro the ſic veſperi proderit ſubinde fixum quoddam diaphoreticum. Rec. ocul. ♋. ppt. Corn. Cerv. phil. ppt. aâ Drach. j ſem. antim. diaph. Drach. j Cinnab. antim. Drach. ſem. nitr. ppti ſcrup. ij M. f. pulv. detur Drach. ſem. pro doſ.
& ità ſi exceſſus omnes præcavebuntur, & moderata fuerit in omnibus nutrix, optimè & conſcientiæ ſuæ, & infantis ſaluti, credimus conſultum.

THESIS XIII.

CUm verò nutrices, ſive matres propriæ ſint, ſive mercenariæ, ad alia quóque obligentur; ſic de obligatione erga prolem utriúsque quædam afferre licebit. Obligationem matri incumbere, infantem, quem enixa eſt, nutrire, ipſa natura monſtrat; dum factô conceptu turgidas facit mammas, medio geſtationis tempore, & maximè circa partum ſeroſi quid colligit, & 3, v. 4to, poſt partum die, ipſum lac in mammis perfectum producit; quare ut mater ſit, nam mater dici nequit, quæ genuit, & non nutrivit; porrigat ejulanti tenello ubera, evacuatis priùs primis viis à meconio: ſyr. de cich. c. Rh. v. oleo amygd. d. ſi ità videbitur; nam neceſſarium non eſt, ſi datum fuerit coloſtrum illud, quod ùt convenientiſſimum, in hoc rerum ſtatu, natura providentiſſima ipſa ſuppeditat; peſſimô more introductô ſæpe rejectum; Eſt enim ſeroſior pars lactis, ex tomentoſis arteriarum extremitatibus, nec dum ità expanſis, producta, ſubſecuturi laudabilis lactis læta nuncia, alimentum medicamentoſum, blandè abſtergens, & inſtar omnium blandè laxantium dari ſolitorum; nam hoc facilè tranſit, minùs aceſcit, & ob levitatem minimè gravat, atque ſic præparat ventriculum, ad lac, 4to die ſuperveniens, perfectius, recipiendum, digerendúmque vide *Spigel. de form. fœt. cap.* 13. *p.* 19. *Ettm. fol.* 1062. *Zwing. pædojat. fol.* 7. & plures alios; contrarios verò invenies apud veteres fere omnes, vide *Muſit. de morb. mulier. fol.* 204. *&c.* dein mater talis, propria nutrix obſervet ea, quæ de mercenariis nutricibus ſtatim dicemus. Non excuſatur mater à lactationis officio, ſi aliquomodo tenera eſt, tantùm lac dulce, probæ conſiſtentiæ, atque nullâ ſenſibili heterogeneâ qualitate imbutum cuſtodiat, licèt id etiam per aliquot menſes tantùm fieri poſſit, nam lac maternum idem fere eſt alimentum extra uterum infantis, quô in utero fœtus nutritus fuit, & licèt

etiam

etiam non adeò laudabile ſit, non tantùm nocebit; nam referente *Hip. ſect. 2. aph. 50. conſueta longo tempore, licèt deteriora, inſuetis minùs moleſta eſſe ſolent.* Aſt ſi mater propria, vel lacte prorsùs careat, vel non ſufficiens, aut juſtò ſeroſius, acrius, aut pituitoſo-viſcidius, adeóque minùs laudabile obtineat, mammæ illius papillis orbatæ; ùt proſtat *obſ.* 3. *M. N. C. D.* 2. *A.* 8, ſi debilis, morbo quodam laboret, quando veneri nimis dedita, uti hìc loci tales raræ non ſunt, tum neceſſitate coacta, licebit ei ad aliam nutricem confugere; ſi non placet, ùt multi hìc loci, plures tamen alibi faciunt, ptyſanâ nutrire prolem; qui potus alimentoſus ſæpe melior eſt, quàm lac nutricum, præſertim noſtratium, ut plurimùm morboſarum; Sæpe enim videre contigit infantes robuſtos, ſinè matris, & nutricis lacte feliciſſimè, citrà morborum qauliumcúnque inſultus ſuſtentatos, & educatos fuiſſe; plures ipſe noſco hìc loci robuſtos viros & plurium prolium parentes, qui lac ex mammis nunquàm guſtarunt; ſed ſolertiſſimis fœminis (quæ hoc in caſu quærendæ) curam accuratam gerentibus ptyſanâ enutriti fuerunt ſufficienti, & accuratè data: potus verò talis eſſe poteſt.

Rec. Dactyl. rec. n. vj ſem. aniſ. Drach. j raſ. corn. cerv. ſcrup. ij hord. excort. pug. ij M. ſpeès pro decoct. ▽ ſimpl. Menſ. ſem. vel Rec. Raſ. Ebor. rad fragar. Liquirit aà ſcrup. ij hord. mund. pugil. iij ſem. foenic. Drach. ſem. M. inciſ. coq. in menſ. ſem. ▽ font.

Nec opus eſt edulcorare ſaccharo tale decoctum per ſe dulce, cum Sacchari conſuetudo mala eſt; videri poterit de hac nutritione *Zwing. pædoj. ab initio. Helm. de inf. nut. ad vit. long. fol.* 735. & plures alii.

XIV.

NUtrix itáque mercenaria talis, qualem deſcripſimus *Th.* 8, Lacte tali prædita, quale ſuaſimus *Th.* 9, diætam colens, quam aſſignavimus *Th.* 12, ſciat ipſi plura adhuc officia tum in ſe, tum in alumnum ſuum incumbere, ad hoc, ut digna gerat nomen nutricis; Quare ante omnia munditiem colat tam in ſe, tam in puerum; nè tanta frequentia ſit, uti eſt, fœdorum ulceroſorùmque infantum, qui ſæpe inter ploratus, & ejulatus contabeſcunt; *Gal.* 2 *de ſanit tuend. cap.* 8, refert hiſtor. de puello quodam, qui, dum tota die ploràſſet, & nutrix conſilii inops, modum neſciret, quo ipſi quietem conciliaret, quando nec motu, nec appoſitione ad mammas, vel quoquô aliô modô illum lenire poſſet, ſordidarum veſtium mutatione, juſſu *Gal.* & dulci lavacrô, conquievit, & longiſſimô ſomnô obdormivit; 2do

Non

Non toties, quoties plorat uberibus alendus admoveatur pusio, in hoc enim valde peccatur, cùm centies sæpe per unam diem, & noctem ubera porrigant ità, ut utérque, & nutrix, & infans, dein ægrotent, illa ob copiam deperditam, hic ob eandem acceptam, non digerendam, quare ut observat *Kerkring. in specileg. anat. obs.* 40. fit, ut lac semi-corruptum hæreat in stomacho, novum affusum denuò corrumpens, & sic in pastam vix solubilem abiens, ex qua bona fortunâ sequitur vomitus, vel strictis orificiorum sphincteribus contentum in ventriculo retinetur, & mille mala generantur; *Vide Helm. sup. cit. loc.* Unde bis, ter, ad summum quater ubera præbere sufficiet per 24. horas; plorent quantùm velint, cum juxta sorbaith & ploratus laudabilis est; nam hoc mediante dilatatur pectus, & caput expurgatur; item meliùs est plorare prolem, quàm parentes & nutrices: exemplô nobis sint rusticellæ, quæ agrestibus operibus intentæ, desumptô exemplô à vitulis, quos tantùm ter de die vaccæ uberibus applicant, filios suos robustissimos, quibus donantur, lacte tantùm ter frui faciunt; unde præstat in lactatione potiùs peccare in defectu, quàm excessu; cùm *repletiones ad extremum perductæ graves esse soleant*, docente *Hip. sect.* 1. *aph* 14, & uti in adultis omnis repletio mala est, panis verò pessima, juxta *Hip.* ita sanè lactis infantibus maximè nociva est; nam *impura corpora quò magis nutriveris, eò magis lædes*; *sect.* 2, *aph.* 10. *Hist.* 3tiò utráque mammâ si potest, lactetur infans; nè fiat lusciosus, nam ob longam, & continuam directionem oculi versùs unam mammam, consuetudo hæc indecora dein inducitur; 4to. Cunas ità colligat, nè lucem habeat infans supra caput, vel ad latus; nam facilè strabones fiunt; sic optimum est, si caput tegatur, vel lux obscuretur. 5to dum lactat, papillam, nutrix osculo infantis insertam quasi exprimendo teneat, nè infans opus habeat operosâ suctione. 6tò cunis non vehementer agitetur infans; ne tenella viscera, & cerebrum patiantur noxam; 7mò sub vigiliis circumportetur infans, ut ità circulus & humorum excretiones promoveantur; 8vò attendat nutrix nè alumnus suus quocúnque modò terreatur, præsertim dum ad somnum est compositus, vel etiam dum dormit; nam talis terror facilè convulsiones, & epilepsias post se trahit, hinc pessima sunt illa terriculamenta, adcompescendos infantes ejulantes hìc loci consueta. 9. nec frigido, vel humido aëri exponere infantem oportet; nam inde humorum spissitudo, colica, catarrhi &c. 10. omni septimana bis vel ter, balneo imponatur, ex ▽ d. p. iij & vini parte j parato, tepido, per horæ saltem quadrantem, dein vitando frigus, linteis calidis involvatur, & ad cunas collocetur quo transpiratio promoveatur, & partes robustiores fiant; unde rejicitur consue-

ſuetudo illa peſſima hic loci maximè recepta, quâ tantùm linteis madidis tenella corpuſcula abſtergunt, & poſteà unguinoſis quibus transſpiratio maximè neceſſaria impeditur, tenue corpuſculum obducunt minùs expertæ obſtetrices; dolendum, quod hic mos optimus, veteribus familiariſſimus, aliis populis hodie adhuc frequens, hic loci tamen rariſſimus ſit; frequens ſcilicet balnei uſus, quò tamen, utì alibi, ſic & hic robuſtiores, longævioréſque eſſent infantes, quàm reverà ſunt. 11. Curam habeat nutrix, an infantis collum, aures, axillæ, inguina, aut crura inflammari, rubere, aut excoriari incipiant; hoc enim, ſi apparet, pulv. rad. liquirit. vel tut. ppt. vel Lap. Calamin. inſpergendus erit. 12. Quando infans plorat, videat: an non faſciæ ſint nimìs arctæ? an in æſtu conſtitutus nimio, quod vultus oſtendet? an ſordes depoſuerit, undè hæc quantocyùs corrigantur. 13. Nunquàm infantem manibus ligatum adhuc, in lectum ſuum recipiat nutrix, nè ex incuria, ſi non ex malitia, ſuffocetur, ùt plura hìc loci recens facta docent exempla. 14. Si purgans ſumpſerit, & neceſsè non eſt, infantem etiam laxare, aut ſi menſes fluant, aut aliô modô ſe malè habeat, non lactet, ſed aliam ſubſtituat. Sic mater, vel nutrix, ſi denuò concepit, & lac obſervat imminui, ablactetur, vel aliæ nutrici detur infans lactandus, donec tempus adſit ablactationis, quod 9. 10. 11. menſibûs, vel unô etiam annô circumſcribitur. 15. Sub lactatione poſt aliquot menſes, quartò, ùt jubet *Muſit.* vel 7. ùt vult *Sorbaith*, proutì videbitur, etiam citiùs, pulticula; non, utì hìc mos eſt, ex farina cruda & lacte confecta glutinoſa, & vix ſolubilis, ſed ex pane triticeo optimo, in mortario lapideo in pulv. ſubtiliſſ. contrito, & lacte fiat facilius digerenda, unà cum decoct. ſup. deſcript. detur, ut ſucceſſivè aſſueſcat; & quæ alia proficua alumno ratio & amor ſuadebit, obſervet nutrix. Et hæc de uſu & vero uſu Nutricum.

CAPUT SECUNDUM.

De Abuſu Nutricum Viennenſium.

THESIS I.

UT à matribus ordiar, à natura ipſa conſtitutis nutricibus, non poſſum non in earum matrum conſuetudinem peſſimam advertere, quæ thoraculis balenatiis, anguſtis, ità ſuarum filiarum conſtringunt pectora, ut non tantùm non debitum incrementum nanciſci poſſint mammæ, ſed etiam filiæ, aliquando matres factæ, licèt velint, non poſſint prolem, quam enixæ ſunt, ipſæ

alere; quàm indecorum eſt, fœminam formoſam, minùs mammoſam eſſe, ità non ſat deplorandum, matrem eſſe factam, & non ſimul licere eſſe nutricem. Utinam! caperent hæ ſaltem, quæ cum ſummo ſuo tædio id experiuntur, infelicem hunc ſtatum non niſi matribus ſuis, de formæ elegantia quidem, minùs verò de ſanitate, & rebus aliquandò neceſſariò agendis, maximè ſollicitis debere; fortè tandem ſaperent, aliter agentes cum ſuis filiabus, nè peſſimum hoc cacoëthes in longam deſcendentium ſeriem derivaretur: *Non enim alia ratione*, ùt verba *Peckl. fol.* 107. mea faciam, *Sinenſium hodiè acuminati pedes, inter elegantias numerati, producti, quàm curâ & conſtrictione; licèt modò tantùm naturæ debeantur.* Atque conſuetudinem, malo ſydere inductam, quoque eſſe cauſam in iis, quæ etiam volunt, non tamen poſſunt, prolem alere, ſedulus rerum ſcrutator facilè capiet; Verùm nec in mammis culpa ſola eſt, ſed maximè in papillis, ex thoracum horum anguſtia retropulſis, ut, cùm evocandæ ſunt, vel non ſatìs habeant virium infantes, vel fruſtillatim & inæqualiter eas protrahant; jam etiam cuticulæ, obvelantis papillam, tanta ſubtilitas eſt, ut ad ſuctiones paulò fortiores ſtatìm laceretur, dolorésque creet tantùm non immenſos; unde deſperatio matris, & infantis ſequatur neceſſe eſt. Etenim, ſi veterum fœminarum habitum reſpicias, & cum noſtris hiſce comparare velis, juraveris, non eſſe eas veteris & aviti generis ſoboles; velim autem agnoſcant, quarum culpa primum hoc vitium invaluit, quantùm pietati & amori in liberos, peregrinâ illâ aliturâ, detraxerint; fortè æternùm non corrigenda.

THESIS II.

HAs matres veniam mereri, nec reprehenſione dignas, quilibet mecum judicabit æquus; quid autem ſentiendum de iis, quæ turgida, vaccarum inſtar, geſtant ubera, & quibus papilla protenſa eleganter riget, ità, ut potiùs cum moleſtia non lactent, quàm cum incommodo quodam lactarent, tu, Lector, ipſe judica. In Batavia, ſic aſſerente *Peckl. loc. cit.* in Sileſia, patria mea, rariſſimum prorsùs eſt, infantes matribus propriis deſtitui, aliiſque tradi; alibi tamen terrarum, maximè hìc loci, uſitatiſſimum eſt, poſcente id, vel perversô matrum geniô, vel loci maledictâ conſuetudine: Ratio popularis hujus vitii eſt, quòd nobiles aliquæ, vitæ voluptuariæ ſervientes, incommoda ferre non poſſint, quæ ſe ſubindè offerunt; quæ tamen tanta longè non ſunt, quanta fuerunt geſtationis tempore; præſertim dum hæc blanda ridentia ora, & quæ tenellus amor dictare ſolet blandimenta, delicioſi mammarum attactûs, & plura alia, ſuavia faciunt, atque duplici refundunt fœnore: Sic aliæ ejusdem ſortis, quas, utì mos eſt, etiam privatæ, ſimiarum inſtar, imitantur, ut,

ut, quod aliis ex neceſſitate incumbit, aliis ad oſtentationem ſit paratum; atque cacoëthes hoc nutricum, Aulis aliquando ſolis infeſtum, nunc etiam in operariorum tabernis alatur. Sunt, lactationem renuentes; nè gratiæ & venuſtas mammarum, ex his pendulis non nihil factis, pereat, & unà cum his, licitæ vel illicitæ ſint, illecebræ venereæ: Aſt velim advertant tales, & aliarum damnô cautiùs mercari diſcant, nè venuſtatis conſervationi ſtudentes, eam unà cum mammis ſordidis ulceribus, exedentibus cancris, & talibus depaſtam, cum aliis, ùt obſ. Auth. docent plures, videant. Aliæ ventri gulæque ſtudentes, hæc vel illa nociva vitare nequeunt aliquo tempore, & ſic innocens prolis lanienæ ſæpè debet deſtinari: Aliæ laſcivæ Veneris ſacra nimìs frequentantes, nè etiam exiguo quodam tempore impuri amoris exſtinctæ jaceant faces, non diſſimili ſubindè tradunt nutrici prolem alendam, quò indiès, ſi non ſæpiùs, ſaltem ſemel, ad aram Veneris faces ſuccendant; tales reverà benè ſibi & proli (ſi honeſtam nactæ ſint nutricem) conſulunt, nam mala, quæ ex continuato, & vix tamen unquam tales fœminas ſatiante coïtu, atque ità imprægnatione denuò ſactâ in prolem, cum lacte ſic corrupto, ſi quod adeſt, deferantur, innumera ſunt; lac enim tale in caſeoſam ſubſtantiam in ventriculo prolis degenerans, quæ mala cauſet, ſup. dictum eſt. Curioſum illud tantùm adduco, ſcilicet: quòd tales infantes, adulti dein, caſeum toto vitæ tempore nauſeant; id eleganter deduxit *Mart. Schoock Tr. de adverſ. caſei. Dygbi de immort animæ hum. itèm de nat, corp. cap.* 38. *p.* 437. & denique *Schott. in Phyſ. cur. p.* 534. Hinc eſt, quòd ob alterationem lactis, quam *le Graff p.* 126. exemplificat, ex frequenti coitu, & ſic facto conceptu ortam, fœminas à debito conjugali liberos facit, *Zach. q. med. leg. Lib.* 7. *tit.* 39. 3. *p.* 399. Aliæ formæ elegantiam putant deſtructum iri, ubi per aliquod menſes lac proli ſuæ præbuerint, atque ità non tam marito, ſed, ùt ſæpè fit, potiùs procis illicitis, diſplicere; aſt quàm fruſtranea hæc ſit excuſatio, ipſæ docent nutrices, quæ nunquam tantâ formæ elegantiâ ſuperbiunt, quàm tunc, dum lactant, ſi cæterum ſanæ ſunt; & certè maritus te Hecubam & Zantippen blandiùs oſculabitur ſervatô ſuô, quem tenerrimè amat, filiolô; quàm eo tam barbarè deperditô, Te etiam Helenam & Venerem ipſam ſalutabit; Aliæ ſunt quæ hecticam, ùt dicere ſolent, contabeſcentiam, & vires deficientes timent; aſt conſule tuam conſcientiam, conſule doctum medicum, non verò, uti mos eſt, imprudentem blatratricem, obſtetricem volui dicere, & fiat, quod ſuadebitur; Et tales aliæ adhuc innumeræ ſunt futiliſſimæ à lactione excuſationes, ſi non viri ſubinde ipſi occaſionem præbeant, ſat imprudenter de non lactanda prole propriis uberibus; concludo hanc theſim textu *Junck. conſp. med. Theor. proet. fol,* 1004. Nutrices temerè conducere religioni matres ſibi ducant;

 certè

certè enim in naturam, ejusque leges in se ipsas; proles suas, & rem publicam peccant graviter.

THESIS III.

Atque ità proles, tot fusis ad Deum & Sanctos precibus, concepta, totque doloribus & molestiis gestata, & enixa, vix è sinu matris prorepta, in amplexus nutricis traditur; quæ, si talis est, qualis esse debet, condonandum est parentibus; ast vix unquam talem esse sequentia patefacient: Mos, qualis nullibi terrarum ferè, quàm hic loci, ità frequens, pessimus, tot jam lacrymis parentum ob morbos, & mortes præcoces prolium infamis, deploratus, & imposterùm deplorandus; mos dico pessimus est: quòd ignaræ matres. ignari parentes, quemadmodùm in morbis, vel fœminis propriis, sit difficilis, vel impedita conceptio, morbosa gestatio, gravissim us partus, periculosum puerperium; vel infantibus congruis, vel recens nato, lactanti, dentienti, ablactando &c. Obstetrices, quas fœminas prudentissimas, instructissimásque his in partibus, & longè magìs quidem quibuslibet Æsculapii filiis supponit vulgus, solas sæpissimè, absque ullo Medico, in auxilium vocant; atque hæ gloriolæ cupidissimæ, arrogantiâ inflatæ, & ab omni humanitate utplurimùm alienissimæ medicastræ, non ignaræ suæ inscitiæ, in casibus hisce difficillimis, & Medicis exercitatissimis atque gravissimi judicii multùm negotii facescentibus, tamen nè indignæ famæ suæ, ex dato cœcâ fortunâ secundato, & sic bene succedente consilio, his in casibus adeptæ, inustam maculam videant; pyxides, ut supra vulgum sapientes videantur, suprà quem tamen nec hilum sapiunt, stolidorum suorum, quæ jactant arcana aperiunt, & vel rancidum pulv. epilept. nigr. march. vel fraudulenter præparatum pannon. rubr. vel torminosa sennata, vel effœta castoreata, & quæ plura talia sunt, crassâ ignorantiâ pronatâ, illotis manibûs, protervo ausu, panacææ sub nomine, & matribus, & infantibus sat caro pretiô solvendæ, millenis jactantiis & historiis aliarum hoc morbo laborantium fœminarum, vel infantum, quibus ad momentum profuerunt, impunè obtrudunt, & frequenter impunè occidunt utrúmque: Quemadmodùm dico hic mos pessimus sit, ità melior non est, quòd in eligendis nutricibus rudes hæ, prouti utplurimùm sunt fœminæ solæ, in consilium assumptæ, sufficere à vulgo, &, quod dolendum, etiam eminentiori judicio præditis judicentur; Nutrices enim nostræ astutissimæ sunt, & singulari dexteritate præditæ, quâ oculatissimos etiam sæpè fallunt Medicos, quidni cœcas & minùs cautas faciliùs fallent obstetrices, leves, & scientiâ imaginariâ magìs, quàm verâ, præditas fæmellas: nam non satis est, ad genua usque propendentes turgidas conspicere mammas, ùt refert *Barth. H. A. C. 3. hist. 46. de Helsingonensi fœmina primaria*, quæ sedens pedibus suffulcire coacta fuit mammas; confer *Bonet. polyalth. T. 3. lib. 5. de aff. mulier. C. 25.* nec tales, ùt *Indicor. itiner. script. de uxoribus in Regno Senegæ, & insula Arabonis* commemorant, quibus tam amplæ sunt mammæ, ut incumbentes ventri ad terga reflecti possint; nec opus est lacte pinguissimo, crassissimo & copiosissimo, nam non alenda gygantum corpora, sed tenella corpuscula; hæc tamen signa sola optimam, secundùm earum stoliditatem, suadent nutricem: Quo eventu? tot mortes prolium, & morbosæ affectiones luculenter docent; latet enim sæ pè in tali lacte toxicum mortiferum, prouti latet obstetrices genuina nutricum electio; ast parentes & domicellæ tales, famâ hujus vel illius obstetricis & confidentiâ seductæ, veniam merentur; sed luant protervæ obstetrices, quibus sua constat ignorantia, & tamen absque scientia & conscientia, si quam habent, graves curandos suscipiunt morbos, trucidant, jugulant tenellos, gravidas, parturientes, puerperas.

THESIS IV.

Sed peccatum obstetricum hoc non unum est, verùm etiam illud est, quòd suadeant meretrices in nutrices suscipiendas, & hinc, quæ suscipiunt, una cum his peccant matres; quæ si graviter peccant ut dictum *Th. 3. ad fin.* si proles suas aliis nutri-

nutricibus alendas tradant etiam honestis cætero quin; quid ni gravissimè delinquent? quæ proles suas notissimis meretriculis, ante 6. subinde menses jam enixis, atque pessimæ notæ fœminis, nutriendas tradunt; Hoc hominum genus, si non apertâ luis Venereæ flammâ ardeat, tamen scintillas quasdam lymphaticis in succis, quasi sub cineribus gliscentes circumfert: vel quæ erit meretrix? quæ uti consuetum est, inordinatè vivens, arthritidis, fœdæ scabiei, purpuræ, scorbuti, & aliarum impuritatum similium, hìc loci ferè endemiarum, fomitem quendam non gerit; monstrat has quidem fluor albus, hìc frequentissimus, ast hunc ità astutæ meretrices, & spe nutrices, abscondere norunt, ut incautæ obstetrici lustranti partes corporis, & indusia, uti mos est, facilè imponant; præsertim si solæ in consilium adhibeantur; ut nil dicam de inordinata vivendi ratione, quàm etiam sub lactatione clàm, vel palàm frequentare continuant; de animi passionibus, moribus pessimis, quibus mens earum repleta est ferè omnium, ità, ut si una bona, honesta, & pia, inter millenas tales meretrices invénta fuerit nutrix, corvô albô rariorem existimarem; omnes ferè sunt bibulæ, rixosæ, lascivæ, quæ minimè, dum lactant à Venere sibi præcavere possunt, præsertim dum ex horaria fere pessima, hìc usitata saginatione potius, quàm cibatione, quasi macello destinatæ essent, succos uberrimos colligunt, Veneris incitamenta; nil referam quòd tales nutrices sint conductæ, mercenariæ, ob mercedem saltem infantem alentes, & nequaquàm tantam ùt mater propria de salute infantis gerant curam; nam amor deest, sinè quo nihil, imò si subinde à solicitis matribus moneantur suæ obligationis, deteriores utplurimùm fiunt, & absentibus parentibus non tantùm malè faciunt, proli, sed ubi ubi possunt, clàm saltem delinqunt, ut noceant; hæc nutricum improbitas, negligentia, odium, vel fucatus saltem amor in alumnos suos, ità innotuit, ut græcis jam fuerit proverbio:

Quemadmodùm nutrices, pascis malè: Vitia dein quæcúnque nutricis transire in prolem cum lacte eleganter *Wirdig. lib. 1. med. spirit. C. 25. §. 26.* delineavit, ità scribens. *alieno lacte nutriti utplurimùm degenerant, & ad naturam nutricum naturalisantur*; Et an mirum hoc videbitur? constat enim lacte humano cicurari ferocissima animalia, ob spiritus temperatos; & contrà homines ferino lacte educati, ferini fiunt; ùt de *Romulo* & *Remo* docet historia; Agnus aliàs balans, lacte caprino nutritus hirquit, sic Neronem benignissimis genitoribus natum, horrendùm crudelitatis monstrum per lac nutricis crudelissimæ evasisse notum est ex historia; en quæ mala ex talibus nutricibus scaturiant; & quod pessimum est, sapere nolunt, & eundem adhuc quotidie errare errorem pergunt; sed audi Vienna tuum *Galenum Sorbaith.* dico *Tr. 4. de morb. infant. fol. 331*; *Infantes à matribus alienis educati, à propriis matrum naturis discrepant, hinc tot meretrices lactatæ, non natæ, tot scortatores nutriti, non geniti, tot immorigeri educati, non nati*; Velut enim hædi, lacte ovillo nutriti, pilum gignunt teneriorem; & agni, lacte caprarum aliti, lanam ferunt duriorem; ità & infantes alieno lacte nutriti alienis moribus imbuuntur; hinc mirantur multi parentes, quòd nullum in se à prolibus experiantur amorem, reverentiam, & filialem observantiam, non recordantes, amoris vinculum per alienam lactationem esse disruptum; & illius quod Alex. M. Olympiæ matri suæ dixisse fertur: *Aluisse majora interdum habere amoris incitamenta, quàm genuisse.*

THESIS V.

Cum itáque meretricum harum lac magìs Delphinorum, Orcadum, ac balenarum lacte, quod veteribus venenosum dictum, teste *Card. Cemment. in aph. Hist. 61. sect. 5. fol.* 419. perniciosum monstratum est, non possum non animadvertere abusum illum, quô honestæ mulieres, quarum maritus adhuc in vivis est, à lactatione arceantur, ex metu, quòd vi conjugii teneantur cohabitare cum marito, & ità ex coitu lac corrumpi, atque conceptu facto, planè evanescere necesse sit; vanum verò hunc metum esse ostendunt exempla Principum, qui nonnisi in matrimo-

niô viventibus, honestis fœminis proles suas tradunt lactandas: benè gnari, meretrices levissimas esse fœminas, & qualibet conjuge magìs vitiis obnoxias; undè est, ut honestas uxores cuilibet suadeamus matri; nec terreat moderatus subindè coitus, nam plùs læduntur tristitiâ, quando arcentur à coitu, à quo moderato magìs proficiunt, quàm abstinentiâ ab eo coactâ proli lactandæ prosunt: Observamus id in nutricibus vulgaribus, minùs sibi temperare valentibus, præsentiâ proci sui destitutis, quòd valdè tristentur, alios hymenæos quærant, & sic infantibus valdè noceant; & è contrà matres plebejas, suas proles alentes, cum suis conjugibus omni nocte cubare, non sinè Veneris exercitio, vix unquam tamen incommoda, & lactis depravationes indè scaturire. Quare nequaquàm in Gynecæis, tanquàm in carceribus, honestæ tales detinendæ sunt fœminæ; sed dum appetitus urget, qui longè moderatior erit, quàm in meretricibus, ad virum admittendæ sunt. *Nam reverà, ex moderato coitu tanta mala non scaturiunt, quanta Medici quidam*, verba sunt *Ramaz. de morb. nutr. fol. 552. in Magnatum ac Principum nutricibus, quas volunt castitati addictas, sæpè proferunt; quare etiam cautelam hanc non adeò tutam ac salutarem existimo, ùt ità rigorosè commendetur.* Hanc eandem *Martiani eruditissimi in Hip. Comment.* esse sententiam egregiè colligitur *lib. de nat. puer. vers. 250.* ubi, postquam descriptionem lactis dedisset, subdit contrà *Gal. de tuend. valet. Cap. 9. quæ, si vera sunt, non rectè sentire videntur illi, qui coitum nutricibus cohibent, lac indè vitiari existimantes, coitu enim mediante motus concitatur in utero, à quo lactis generatio dependet, & ex coitu alacritas inducitur mulieri, undè venulæ laxantur,* ùt dicebat *Hip. de morb. mulier. l. 1. quam ad lactis bonitatem & ubertatem plurimùm conferre indubitatum est.* Imò si Veneri assuetas abstinentia tantopere lædit, quod viro orbæ quotidiè experiuntur, quæ variis morbis fiunt obnoxiæ, nutrices à proprio viro segregare penitùs non est tutum. Undè patet, metum esse pannicum; moderatus enim coitus admissus minùs saltem nocebit, quàm absconditæ ex timore, nè alituram prolis deperdat, & in pristinam pauperiem relegetur nutrix, ideæ aphrodisiacæ, quibûs mens nutricum sæpè occupatur, unde lac corruptum, salax, furiosúmque factum stigma facilè indelebile, ùt obs. *Helm.* proli inurit. Quare si tristem videris nutricem, quæ anteà hilaris fuit, taciturnam modò, quæ anteà garrula; item si quando vir aliquis venustus & elegans ad illius aspectum obvius fit, & cum illo loquitur, si, inquam, tunc hilaretur, catulire incipiat, certè concludere poteris, venereos cogitare ludos; ast in hoc non culpanda est, cùm naturales sint effectus, undè potius honesto modo admittenda, quàm prohibenda est.

THESIS VI.

DEin quid noxæ resultet ex blandimentis, quibûs nutrices à parentibus & domesticis excipiuntur, sivè in verborum lenocinio, delicatissima diæta, donis, sive in alia commoditate consistant, nemini ignotum esse poterit: Habeo ipse ex honestis matronis, quòd ipsis fassæ sint plures, se nunquàm meretrices fuisse factas, nisi spe alituræ, & hanc excipientium blanditiarum, munerúmque futurorum allectæ fuissent. idem egregiè jam notavit *Peckl. loc. cit.* dicens: *Hinc illa in nutriculas indulgentia, & tot ad conciliandam gratiam, & in pueros propensionem, quam ut matres veræ à natura non habent, excogitata blandimenta, fercula &c. sunt, quibus ipsis efficitur, ut meretriciam vitam in lucro ponant ancillæ, dominici aut uxorii imperii saturæ, & spe locandæ operæ nil æquè ac coitum desiderent, & turgidulas post partum mammas.* Præterea tales fœminæ, cùm sint minùs morigeræ, suæ anteactæ vitæ brevì oblitæ, superbiâ inflatæ, quòd gratiam sentiant parentum prolis, reliquas consamulantes ancillas vili habent, malè describunt &c. undè altercationes, rixæ, iræ, exacerbationes &c. quæ sæpè morte ipsâ innocens pusio expiare debet: sic laboribus anteà sat gravibus assuetæ, modò stertunt in alto otio; cibîs rudioribûs anteà nutritæ, modò vescuntur bellariis, & quæ talia sunt; hæc autem subita mu-

tatio ab *Hip.* jam maledicta, animi mores creat pessimos, Veneris appetitus excitat, quos supprimere volentes tristantur, & mala innumera scaturiunt.

THESIS VII.

ASt non omnes matres ità nutricibus blandiuntur, sed potiùs fœminæ sunt, medium tenere non doctæ; quæ pessimo more quidem, sed innato tamen quasi rixandi altercandíque genio, quoties nutrices aspiciunt, sensilibus valdè verbis eas excipiunt; hinc nutricum pusillanimitas, vel ira vehemens, suppressa ex respectu, aperta magìs ex noxa illata proli; sed tardè nimìs tales matres cautiùs mercari discunt. Ejusdem furfuris aliæ dantur matres, quæ crimini sibi videntur ducere, natum unum, à decem vel pluribus non nutritum fuisse nutricibus; quod constat quotidianâ experientiâ, nam rarò 8. vel 9. mense ablactatur infans, qui non habuit 9. vel plures nutrices: vel quòd matres personali quodam in hanc vel illam nutricem ferantur odiô, vel quòd infans non benè valeat, & sic causa existimatur nutrix, vel alia ex ratione; undè hâc abjectâ nutrice, melior quæritur, &, ùt plurimùm pejor nanciscitur; & quæ filii suî studebat consulere sanitati mater, eum perdit: nam reverà nîl magìs infantes, quàm frequens nutricum, & sic lactis mutatio offendit; sicuti enim adulti non benè mutationem potûs & alimentorum ferunt, id minùs benè ferent infantum longè sensiliora corpuscula; hinc suo jam tempore matres admonuit *Mercatus T. 4. fol. 748. de elect. nut.* ità scribens: *Nutrix sinè gravissimis causis non est mutanda*; nam licèt lac nonnihil deterius sit, cùm tamen consuetum sit, minùs nocere solet; ità docet *Hip. in aph.*

THESIS VIII.

DOlendum profectò, quòd inter tot, in urbe nostra, feracissima nutricum, quæ lactandorum numerum longè superant, tàm paucæ sint, quæ requisita nutricis habent. Elige ex triginta, vel pluribus, quàm putabis, quoad omnia optimam, & assecuro, etiam hanc nè hilum quidem valere comperies; nam quàm paulò antè jurâsses, corpore sanissimam, mente sanctam, moribus comptissimam, paulò post morbosam, iratam furiam, & pessimam experieris. Ità mille technîs, mille fraudibûs, mille mendaciîs vitia, quæ absterrere possunt ab alitura, tegere astutè norunt; quæ est, quæ non dicit: ante duos primò menses peperisse, filium habuisse, hunc esse adhuc in vivis? & quæ plura sunt, quæ alliciunt & commendant, quæ ut plurimùm omnia intimior veritatis scrutatio mendacia esse te docebit; sic quæ insinuat, si contigerit fluere menses? & quæ est, quæ hos non accuratè abscondere norit? parùm curans, infans crucietur torminibûs, ejulet die noctúque, imò convulsionibus corripiatur, & moriatur; proprius enim non est: imò, quod plùs est, ad compescendos ejulatus venenosas adhuc porrigunt mammas, & sic incuriâ illius trucidatur proles, cujus curæ vitam aliquando debuisset; Sic aliæ sunt absurdæ tales meretrices, quæ non erubescunt per aliquot annos continuò lactare, & semper fingunt, se primo antè duos vel unum mensem peperisse; & nê fucus detegatur infantem hujus ætatis, ab alia ejusdem furfuris matre mutuum, interim ostendunt proprium. Aliæ scortationis, in qua lucra quærunt, lactantes nequaquàm oblitæ, datâ occasione adhuc frequentant, vel saltem anxiè appetunt. Aliæ tandem, quos tenellos tenerrimè amare deberent, oderunt, hinc torvo vultu minas spirante tenellos offendunt oculos, incomptâ & raucâ voce teneras perstringunt aures, imò violentiâ quâdam barbarâ tenellum corpusculum hinc indè jactitant, trahunt, projiciunt, imò sæpè crudeli manu verbera infligunt, ità, ut non raró ex nutricum barbara agendi methodo gibbosi, pede breves, & alio defectu laborent adulti, integra corpusculi constitutione nati infantes. Atque hæc, matres! sunt gratiæ & amplexus,

xus, quos proles vestræ experiuntur à nutricibus; hi sunt fructus alienæ alituræ, quorum semina vestra negligentia vel voluptas seminavit; & hæ sunt proles, quæ vel ob destructam corporis sanitatem, vel corruptos per nutrices animi mores vestram in se impietatem coràm tribunali fortè divino accusabunt; id, nè fiat, faxit summus Archiater, ut mens obcœcata matrum illuminetur, quó in ejus majorem gloriam, parentum solatium, Reipublicæ decus, propulsis meretricibus nutricibus, plures longæviores, virtute, scientiâ, ac firmâ corporis valetudine præditos, nobis liceat intueri. Tu verò, Lector, has pagellas quascunque æquô animô judica.

APPENDIX.

Cum virgines virginitate illibata lac subindè in mammis gerant, testante *Diemerbr. obs. & curat. med. 77. Salmuth. Lib. 1. obs. 92. Blancard. Ephem. Holland. C. 7. N. 11. p. 17. Cruger. M. N. C. D. 2. A. 9. obs. 139. p. 241. Adr. Cypr. Ep. ad Th. Millingt. p. 24. Hist. aph. 39. sect. 5.* Imò fæmella lactans, *teste Card. fol. 391. Comment. in sect. 5. aph. 37.* uti & vetula 55. ann. apud *Amat. Lusit. Cent. 1. curat. 47. p. m. 131. Henr. ab Heer. Baricell. hort. genit. p. 394. Ephem. Germ. cur. A. 3. obs. 136. Joh. Jacob in probl. misc. circa physiolog. q. 49. p. m. 85. Bodin. Theat. nat. lib. 3. p. 429. Kerkring. specileg. anat. obs. 21.* nec non in puero lac deprehensum, *ut Barth. fol. 333. refert*: in juvene, *ut Helwig obs. phys. med. fol. 369. Gerard. Blas. Comment. in C. 9. Syntag. anat. Verling, Bitterkraut Cap. 10. Threnod. med.* Virum, nî fallor 30. annorum, sutorem suæ professionis, carnosum & benè mammosum, in Silesia mihi ipsi videre contigit, qui toties lac expressit è mammis, quoties voluit, *ità Horst. de Lib. Bar. quodam lib. 1. de nat. hum. Expert. 7. q. 8.* idem refert; ità ut exindè appareat, naturam nunquàm deficere in necessariis, sed & sitienti Ismaëli è pumice aquam, quâ vitam sustentet, ostendere; quare sequentes libuit ponere quæstiones:

Quæst. An proverbium; Lac habet in mammis, ergò concepit, vel genuit, verum sit?

℞. Non semper; undè apparet absurdum exindè nostrarum obstetricum judicium

Quæst. 2. An Virgo pulchrè mammosa, lac habens sufficiens, & bonum, possit nutricem agere?

℞. Aptiorem meretricibus ordinariis.

Quæst. 3. An vetula necessariis instructa?

℞. In casu necessitatis.

Quæst. 4. An vir juvenis, mammosus, lac in uberibus colligere assuetus, nutricis officiô fungi possit:

℞. Ab actu ad potentiam est bonum argumentum; lactantem enim vidit Virum *Veslingius in Ægypto*, dum Cairi per quinquennium degeret, id referente *Rhodio in Scribon. Larg. Compos. 82.* ergo, pro hercule egregium erit nutrimentum.

Qu. 5. An qui ultrà biennium lactantur, disciplinis addiscendis, ùt vulgaris est opinio, sint ineptiores aliîs, infrà hoc tempus ablactatis?

℞. Nulla videtur ratio, potiùs aptiores sunt, tantùm laudabile lac sit, fortè tamen ad labores mechanicos minùs robusti erunt.

Qu. 6. An dentur specifica lac augentia, ùt de Anemon. fol. *lib 1. herb. Tabern. Cap. 16.* de anis. fœnic. aneth. pastinac. sativ. soncho, & centum aliis alibi refert?

℞. Nugæ sunt, imò Cryst. mont. pulv. de qua tantus clamor inter obstetrices & vetulas, sæpè magìs nocet, ob gypseam suam adstrictivam virtutem, quàm prodest.